BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
14 C
28

Digitized by Google

Digitized by Google

.B

GABRIELIS A FONSECA LVSITANI,

OLIM IN PISANA ACADEMIA publici profeſſoris,

NVNC ROMAE MEDICINAM exercentis,

MEDICI OECONOMIA.

In qua omnia quę ad perfecti Medici munus attinent breuibus explanantur.

Opus cunctis artis ſtudioſis valde neceſſarium.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Nov

ROMAE, Apud Andream Phæum. 1623.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

1.2. 14. C. 28

Digitized by Google

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. D.

GASPARI BORGIÆ

S. R. E.

CARDINALI AMPLISSIMO,

Et Catholici Hiſpaniarum Regis ſtatus Conſiliario.

Gabriel à Fonſeca S. P. D.

NOnus iam agitur annus (Illuſtriſſime Princeps) ex quo vix ſemel tecum allocutus in viridi adhuc ætate mea, nullis meis meritis, ſed ſolo clementiæ tuæ imperio, tanti Principis

ſaluti (reipublicæ Chriſtianæ admodum neceſſariæ) ſeruandæ, præ alijs benigne fui ſelectus. Quo inſigni munere inſignitus, ſeu potius deuictus, neſcio quo vel animi feruore, vel litterarum amore ſordebat mihi ſola medendi profeſſio, concipiebam maiora, quæ & aſſiduis ſtudijs meis, & ſapientiſſimi Principis electioni aliquando reſponderent; quibus ſtimulis aſſiduo concitatus ſubceſſiuis ab ægrotantium curatione horis, nocturniſque lucubrationibus conatus ſum varia componere, quæ tamen omnia hucuſque iure in tenebris iacent, maturioris etatis ſeueram ſubitura cenſuram; Sed cum hoc annorum curſu quamplurimis in me collatis beneficijs grata tantum ſatisfaceret voluntas, exardebat animus tot gratiarum facibus deflagrans, teſtimonium aliquod gratitudinis rauca licet voce cunctis palam proferre, vnde vi quadam huic primo ingenij mei

fætui

fætui immature vitali perfrui aura ſors contigit; qui licet admodum rudis atq; imperfectus, ſiue ex ſua, ſiue ex tua ſpectetur dignitate, ab omnibus cenſeatur; merito tamen nominis tui ſplendore in ſigniri tenebatur; debent namque naturæ lege, exigua magnis defendi, tenuia ſolidis roborari, obſcura claris illuſtrari; ſub potentiſſimo igitur nominis tui clypeo à varijs calumniæ telis immunis noſtra hæc propugnabitur opella, ſolidiſſimiſque virtutum tuarum anchoris a turbulentis iuditiorum tempeſtatibus vndique iactata, innoxia hæc exigua firmabitur nauicula, totque clariſſimis ſplendentis ſolis irradiata radiis noſtra Medici œconomia caliginoſas nocturnę obliuionis fugabit tenebras; nam vt omittam tot inſignia ſtyrpis tuæ lumina, quid orbi ego vulgem quod nemo neſcit? maiores tuos potentiſſimos Reges, ſummoſq. Pontifices tuæ familiæ ſplen-

dorẽ illuſtraſſe, vt nata sẽper sũmo videatur imperio; quæ omnia licet magna, parua ſane ſunt, ſi quæ inte conſpirarunt adſpiciam, vt magnus vndequaque redderes; ab ineunte namque etate haud hęreditario ſanguinis ſplendore contentus excelſum animum ita perfecte, magno licet ſalutis detrimento, grauibus Phyloſophiæ ac Theologiæ ſtudiis imbuiſti, vt ſtatim iure proprio innixus omnium plauſu in Cardinalium numerum fueris receptus. In quo dignitatis gradu ita fortiſſimi animi tui emicuit prudentia, ſummaque dexteritas in graui negociorum mole componenda, vt prudentiſime a Potentiſſimo Hiſpaniarum Rege Philippo Tertio, dum turbulentus armorum ſtrepitus Italiam vrgeret, graueque bellum inter Chriſtianos Principes ſæuiret, in re tanti ponderis digniſſimus prę alijs Legatus apud Sanctiſſimum Pontificem Paulum Quintum felicis

licis memoriæ fueris electus; in quo munere ita te vigilantiſſimum præſtitiſti, quattuorque annorum curſu ſic grauiſſima quæque ad optatum finem perduxiſti, vt merito in hac ardua legatione, cęleſti quodam numine afflatus operari videretis; quibus rebus præclare geſtis commotus Catholicus Rex, dum ſummæ Regnum Neapolitanum premerent difficultates, ad eas ſubmouendas neminem te aptiorem Proregem futurum iudicauit; nec ipſum euentus fefellit, ſic etenim cuncta feliciter compoſuiſti, eaq; humanitate potentiam attemperaſti, vt omnes certatim te velut beneficum ac ſalutare numen venerarentur, variis interſe iudiciis ambigentes, te dominum an patrem ſalutarent; quod tandem recta lance perpendens Iuſtiſſimus Rex Philippus Quartus bonorum omnium conſenſu inter ſupremi conſilij proceres ſumma laude te ipſum recenſuit. aliiſq.

honoribus inſigniuit, quos hic cum virtutum tuarum choro libenter ſubiticeam ne modeſtas aures tuas offendam, ſed tantum Omnipotentem Deum depreca. bor, vt pro Chriſtianæ Reipublicæ bono te diu felicem ac nobis ſeruet incolumen, Vale.

TA.

INDEX
CAPITVM.

PRæfatio operis. pag.1.
Sanitas Medico comendatur, eiuſque exiſtimatione multum conducere oſtenditur. Cap. 1. pag.7.
De veſtitu, decentique Medici ornatu. Cap.2. 14.
Famam nominiſque opinionem Medico perquirendam, multumque ad hanc conducere beneuolentiam, authoritati permixtam. Cap.3. 21.
Virtutem Medico valde neceſſariam, ac præſertim aliquas eius ſpecies in eo collucere debet. Cap.4.30.
Vrbis ſitum, Regionem, aeris naturam aquarum vires, hominumque victus, ac mores diligenter Medico perquirenda. Cap.5. 39.
Almæ Vrbis ſitus deſcribitur; aeris, aqua-
rum-

Digitized by Google

rumque natura aperitur, hominum victus notatur quibuſq. ſit obnoxia morbis exponitur. Cap.6.48.
De primo Medici ingreſſu ad infirmos. Cap.7. 57.
Qualis amicorum ſermo cum infirmis, animique perturbationes ab eis eſſe abdicandas. Cap.8.65.
Primum Medici munus eſſe, cognoſcere morbnm, quid faciendum eo ignoto. Cap.9. 73.
Quomodo in præſagiis Medicus tuto ſe gerat. Cap.10.83.
Nec aperte infirmis à Medico mortem prædicendam, nec vnquam ſolis prognoſticis in deſperato morbo deſerendum infirmum. Cap.11.91.
Conſultationem Mediconeceſſariam, qualiſque eius ſcopus. Cap.12.98.
Quæ peculiariter conſultoribus vitanda, aptique ad hoc conſulendi munus decernuntur. Cap.13.105.
Ad morborum curationem triplici apparatu

tu optime prius inſtrui debere Medicum Dietæ, Chyrurgiæ, Pharmaciæ. Cap. 14. 112.
In acutis Medicis inuigilandum ob velocem eorum motum, inſignæque vitæ periculum, inutiles hiſce imperiti.cap. 15. 120.
Quæ in acutis morbis præſtanda, monitis quibuſdam continentur. Cap.16.126.
Exploditur quorumdam error morborum omnium exitum fortunæ tribuentium. Cap.17. 133.
Adſtrictam, & ſeueram medendi formam futuram, quomodoque ab hac interdum deflectendum. Cap. 18. 140
Præcepta quædam aulicis Medicis valde neceſſaria traduntur. Cap. 19. 147.
De Medici honoribus, debitaq. curationis mercede quomodoque in ipſa exigenda gerere ſe debeat. Cap. 20.155.

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Pal. Apoſtolici

A. Epiſc. Hieracen. Viceſg.

Librum hunc, qui inſcribitur Oeconomia Medici Gabrielis Fonſecę Luſitani, Ego infraſcriptus iuſſu Reurendiſſimi P.M.S. Palatij totum legi: Et ſicut in ipſo doctrinę plurimum reperi, ſic nihil eſt, quod vel Chriſtianę ſidei, vel bonis moribus aduerſetur, In quorum fidem ego Aurelius Marrocchus Medicus ſcripſi, & ſubſcripſi manu propria die 30. Iannuarij 1623.

Ego Aurelius Marrocchus Medicus manu propria.

Imprimatur

Fr. Dominicus Paulaccius Socius Reurendiſs P.F. Nicolai Rodulfij Ord. Præd. Sacri Apoſt. Pal. Magiſtri.

MEDICI

OECONOMIA

Præfatio Operis.

CVM non exigua commercia, vt Sapiēs teſtatur Hyppocrates, ægrotis cum Medico ſint, propterea quod non de argento, auro, gemmis, aliisve fortunę bonis inter ipſos negocium agitur, ſed de vna hominis vita omnium rerum abſque dubio pretioſiſſima; mirandum proinde non eſt ſi ob negotii pondus, non ſolum vulgares homines in re tanti momenti ſemetipſos æquo animo medicis penitus ſubiiciant, ſed æqualiter, etiam Prin-

ceſſarium, ſimulque præclarum ſit medicorum officium, ac inſtar cæleſtis luminis, non minus infimæ plebi, quam Regũ diademati collucens inſeruire teneatur; ea propter vt tam diuerſa languentium multitudo, ſepe diſcors, turbida, ac à variis perturbata, ſub arctum medicinæ iugum ad optatam ſalutis metam, ſuauiter perducatur; præter perfectam doctrinam exactamque methodum, qua in morbis profligandis dextere vti debet, Oeconomiæ præceptis ad artem ſpectantibus optime prius inſtrui debebit, ex quorum obſeruatione ſecundis ventis rectum, ac felicem tenebit curſum in vndoſo hoc morborum mare; hanc autem Oeconomiam, ſeu medici gubernationem ex pręclaris veterum monumentis præcipue tibi hauſi, vt ſaltem receptæ antiquorum authoritatis pondus ad eius frugiferam, ac ſalutarem obſeruationem te vel inuito trahat, ac conſtanter firmet; in qua hoc vnum fuiſſe nobis conſilium repe-

ries, vt medicum qui ad ægrotos curandos accerſitur in corporis habitu, veſtitu, ſermone, ingreſſu, aliiſque legibus ad medici Oeconomiam conducentibus, perfecte formemus; quod eximie multis ab hinc ſeculis, hanc nobis indicaſſe viã artis noſtræ PrIncipes, non ignoro, inter quos omnium conſenſu omnibus antecellunt Galenus & Hyppocrates, ſed hic magis, nam in re medica uir hic Cous, vt inquit Poeta, aliis æquandus pluribus vnus; attamen hi, vt vera fatear, circa grauiora detenti ſparſim communia tantum ac vniuerſalia præcepta de his prodiderunt. Et quamuis ſummus Hyppocrates, peculiaria volumina de his conſcripſerit, de medico, de præceptionibus, de decenti ornatu inſcripta; multa tamen alia ſaluberrima artis præcepta his ſemper permiſcuit, nec vnquam hunc medicinæ agellum propriè ſibi colendum duxit; immo conſueta eius breuitate præcepta quædam æuo illo accomoda
ta

ta nobis reliquit ſolidaque iecit fundamenta, quibus poſteritas innixa excelſa erigere poſſet edificia humanæ ſaluti multum commodi allatura; poſterorum tamẽ ingenia hanc medicinæ partem incultã, atque deſertam reliquerunt, vnde ſuauẽ eius frugem perfecte vnquam non deguſtarunt. Nos igitur in hoc amplo medicinæ agro agricolæ pariter conſtituti purum hoc atque ſelectum ſemen in ſalutifero Hypocratis viridario productum in præſenti colendum ſumpſimus; quod certe ſi in fecundo ſolo fuiſſet ſparſum licet exiguum ob eximiam tamen vim facile comprehenderet, latiuſque ſe expãdens vberrimos produceret fructus; Sed forſan, vel ob terræ ariditatem, vel ob agricolæ incuriam, qui ex noſtro agello naſcentur fructus exquiſito palato immaturi acidiue euadent; at nõ ob id (deprecor) ſtatim reprobentur; inter dulciſſimos namque atque exquiſitos cibos multoties acidos expetiri fructus, pariterque

terque acerbos ſaturato ſtomaco gratos eſſe quotidie experimur. Immo potius quod immaturis fructibus, ſic noſtris forſan continget, qui ſi benignum ſinum fuerint ſortiti, mitique foueantur legentium calore inter iucundiores connumerandos, ac guſtantibus gratiores fore ſperarem. Cum bona igitur venia hæc luci damus, non quidem (ingenue fateor) ab ambitionis innaniſque gloriæ ventis impulſi, ſed potius à ſola tyronum vtilitate inducti; Styli genus tanquam inſuetum, varioque ſermonis ductu ornatum à rigidis forſan phyloſophis calculo notabitur nigro; immerito tamen, ni fallor, vagę namque iuuentuti hæc ſcripſimus, cui ſeria dulcibus permiſcere pergratum ſeu neceſſarium eſt, ſimulq. cum tali verborũ ſerie præfixos honeſtos breuitatis termi nos haud fuimus egreſſi, dum dilucide priſcorum præcepta hac in re tradere fuit animus, quod vtrumq; an fuerimus aſſecuti, candidi ac benigni iudicent lectores

ctores quorum mos ſemper fuit erigere non impellere cadentem,non inuidi,qui velut angues, non ſolum limpidas fontium aquas tetro ore perturbant, ſed etiam flagrantes librorum flores veneno inficere contendunt. Omnes tandem deprecor,vt iuuentutis labores qualeſcumque ſint benigne excipiãt ac approbent, horumque applauſu nobis ſpem erigant maturiori iudicio luci proferendi grauiora quæ in dies propero.

Sanitas medico comendatur, eiuſque exiſtimatione multum conducere oſtenditur.

CAP. I.

CVM primarius medici ſcopus ab egrotis accerſiti,ipſa ſit ſanitas, & hanc violatam ſeu deperditam in integrum reſtituere pro viribus contendat doctus medicus;

Digitized by Google

dicus: hac ipſa ſecunda valetudine, quã artis ſubſidio languentibus impertiri nititur, imprimis ipſe frui tenetur; ex dignitate namque Medici eſſe exiſtimabat ſummus medicinę parens, vt aſpectus medici viuido colore fulgeret, ac habitu corporis eſſet ſucci pleno quantum peculiaris eius natura id feret, vulgus namque exiſtimat, eos qui non ſic feliciter diſpoſitum corpus habent nec alijs recte conſulere poſſe, cuius præcepti non ſolum verbis ſed reipſa diligens obſeruator Aſclepiades Pruſienſis egregius medicus non minori prudentia quam eruditione clarus, ab eximio naturalis hiſtoriæ obſeruatore ſummopere celebratur, ac inter hominum flores merito recẽſetur, non tantum condita noua ſecta ſpretis legatis, & pollicitationibus Mitridati Regis non tantum reperta ratione qua vinum ægris medetur, non tantum denique relato è funere homine, & ſeruato, ſed maxime ſponſione facta
cum

cum fortuna ne medicus crederetur ſi unquam inualidus fuiſſet, & tandem victor euaſit; cum ſuprema ſenectute lapſu ſcalarum, fuerit exanimatus; huius ergo exemplo laborantibus à morbis miſere afflictis ſubueniat ſanus ac integer medicus; ſcabie namq; aut articulari morbo, aliterue a morbis vexatos infirmis præeſſe velle, vt lapſam eorum valetudinem artis ope erigant, turpiſſimum merito cenſebat Galenus; & ne in hanc eandem quam acriter inſequebatur calumniam ipſemet incidiſse videretur, dum in adoleſcentiæ etate ſingulis fere annis ob immodicum fugacium fructuũ eſum periculoſe adeo à morbis premeretur, vt fere ſemper venam ſibi ſecari fuiſset opus; tandem præceptoris quem prorſus ſequebatur dogmatis memor, poſt octauum, & vigeſimum annum, talem ſibi viuendi legem perſcripſit, vt integram minimeque iam morbis obnoxiam ad ſenectutis terminũm ſuam ſer-

uauerit

uauerit valetudinem, quamuis ab ortu haud ſatis firmam fuiſset ſortitus, cuius pariter præcepti Plato memor hunc ſuo æuo circumire errorem querebatur, quod abſque temperantiæ ſanitatiſque ſtudio quamplures medici eſſe contenderent. Et quamuis alibi Plato medicos pręſtantiſſimos aſſerat, ſi ab ineunte ætate pręter diſcendę artis ſtudium inter plurimos corpore male affectos conuerſarentur, ipſiſque omni morborum genere laborarent, naturaque eſſent imbecilla, nihilominus quēadmodū nunc Platonici dogmatis priorē partē libēter admitto, vtpote ad praxim ac peculiarem actionem certa via nos ducentem, ita poſteriorem velut ad contemplationem, reique medicę exactam notitiam non parum obſtaculum allaturam, ſponte dimitto, nec approbo: Quomodo namque qui ab ipſo vitiato parentum ſemine prauam corporis temperiem vitioſamque ſtructuram contraxerunt, quique prima iu-

uentute

uentute diuerſis morborum tormentis diu fuerunt cruciati atque irretiti, aſſiduo, indefeſſoque arduis medicinæ ſtudiis operam dabunt, quæ continuis laboribus, ac vigiliis, vix adipiſcuntur. Siq. hominis vita artis comparatione breuis ab Hypocrate iudicatur, quid de illis cenſendum qui dimidiam uitę partem, eamq præſtantiorem, non medicinæ ſtudiis adipiſcendis, ſed variis morbis profligandis impenderunt? Nec platonis ratio non conuincit, dum ait: nec.n. corpus, vt arbitror corpore curant, ſed anima corpus curat, nam quemadmodum artifex qui bene valet, ſi quodam coerceatur domicilio obſcuro aliiſue incommodis labefactato, vel etiam deprauata obtineat inſtrumenta haud perfectum vnquam opus erit effecturus, ita ſane de anima noſtra ſtatuendum quæ dum corporis vinculis eſt conſtricta, ſemper bonam temperiem, optimamque conſtructionem corporis tanquam inſtrumenti, vel

vel tanquam domicilii (quod Platonicis magis arridet) ad ratiocinandum cæteraque peragenda, neceſſario expoſtulat. vnde recte iuuenalis, orandum eſt, vt ſit mens ſana in corpore ſano, & ſummo quidem iure nec enim in corpore mens ſana eſſe poteſt, niſi pariter eius functiones vigeant ac floreant, vnde ſapiens, dul cedo animę, ſanitas oſſium; ſic pariter eximius ille naturę ſcrutator Democritus ad Hypocratem noſtrum hęc ſcripſit, mens increſcit cum adeſt ſanitas, cuius curam habere eos, qui recte ſentiunt, præclarum eſt, vbi vero corporis habitus dolet, mens ad virtutis exercitationem nullam adhibet diligentiam, præſens enim morbus animum vehementer hebeſcit, & intelligentiam in affectus cognationem ſecum trahit; ideoque multos (tradit Celſus) ex ſapientiæ profeſſoribus peritos medicinę fuiſſe accepimus, primoque medendi ſcientia ſapientiæ pars habebatur, vt & morborum cu-

ratio

ratio, & rerum naturæ contemplatio ſub iiſdem præceptoribus nata ſit, ſcilicet his hanc maxime requirentibus, qui corporum ſuorum robora, inquieta cogitatione, nocturnaque vigilia minuerant. Cumq; poſtea Hypocrates Cous primus quidem ex omnibus memoria dignus, ſalutis humanę præſidem hanc artem, ab ſtudio ſapientiæ ſeparauerit, nonne proprius ad legitimos eius ſectatores, quam ad ſapientiæ, alteriuſue diſciplinæ, profeſſores primum hoc ſeruandę valetudinis pręceptum ſpectabit? Cum igitur huius obſeruatio, non ad medici dignitatem, ſed ad maximam eius vtilitatem conducat, ſtudeat pro viribus noſter artifex, vt ſiue validam, ſiue infirmam ab ortu naturam obtinuerit, vel poſtea quauis de cauſa contraxerit; ſalutaris tamen quam ipſe exercet, artis ſuaues ac prætioſos fructus in ſemetipſo aliis demonſtret, & quicquid egentibus promittit, ipſe iam poſſideat Poetæ ſententiæ memor,

mor, *non eſt viuere, ſed valere, vita*, ſic nemo conuitium illud è tragedia ſumptū auribus inſuſurrabit, medetur aliis ipſus ulceribus ſcatens, ſed potius alacriter credet æger, eius tutelam in eius eſſe manibus, medicique bene ualentis ope ipſum ſimiliterbreuiter conualiturum firme ſperabit.

De veſtitu decentique medici ornatu.

CAP. II.

QVAMVIS prudenti eruditoq; medico multo pulcrius, ſplendidiuſque ſit animum præferre cultum, compoſitum, ſolidaque ornatum doctrina, quam externam corporis ueſtem, cum mulieribus munditiæ, ornamenta; uiris autem labores, animique ornatus magis conſonent, nihilominus cum externus quoque corporis cultus ad medici finem non parum

con-

conferat, ac uenuſtas, comitas, gratiaq. infirmis iucunda, medicum ſemper comitari debeant, quia medici perſona non tantum animis, ſed populi, languentiumque oculis inſeruire tenetur; ſecundæ propterea ualetudini externam quoque addat munditiem: Et imprimis Galeni monitis procuret noſter artifex, ut omnes ſui corporis partes quæ ęgrorũ aſpectui ſubiacent, habeat quam mũdiſſimas, ueſteſq; uilui admodum gratas ad ꝙ idẽ antea hiſce uerbis hortatur Hyppocrates, deinde eius cultus mundus eſto, ueſtiſq. ſit decora, & unguentis utatur beneolentibus citra omnis odoris ſuſpicionẽ, iſtud namq. iucundum ęgrotantibus eſſe ſolet, quibus etiam uerbis, prudens ſenex medicum admonet, cautumque reddit, ne eius odores moleſti, infenſique ægrotantibus ſint, cum a muſci odore cæteriſque huiuſcemodi hiſtericas mulieres grauiter affici obſcurum non ſit, ſuffituſque aromatum capitis ingenerare grauitatem

uitatem pariter clarum ſit . Odores ergo medicorum ita ſint temperati ac ſalubres, ut nullam unquam noxam laborantibus afferre ualeant . Caueant quoque ſumma diligentia medici, ne per incuriam tetrum redolentes odores ſummopere laborantibus ſint infeſti,nec unquam quod Quinto medico conterraneo ſuo Romę medenti Galenus accidiſſe narrat aliudue ſimile nobis temere contingat,qui a prandio diuitem quendam ac præpotentem hominem uiſitauit,uini odorem uehementer ſpirans . æger itaque cum capitis dolore magna uexaretur febre atque ideo uini odorem exalantem ægre ferens , Quintum ut longius aliquanto a ſe recederet rogauit , quoniam uinum immoderatius redolens ipſum haud exigue contriſtaret . Summo ergo iure in omnibus operam dabis,ne in talibus turpiter aberres, ſed ſemper tui pręſentia a languentibus nimis optata , una etiam iucunda deco-

ra, utiliſque euadat. Qua de cauſa debent medicorum ueſtimenta eſſe mũdauiſuique ægrotantium admodum grata, non ita tamen ſumptuoſa, ut arrogantiam indicent, nec etiam muliebria aliquibus hoc ęuo non ſine dedecore pecu liaria, cum animi mollitiem, ac torporem hæc præſeferant; illi namque ſolum ſplendidum cultum, veſteſque prętioſas præ oculis habent, qui fora frequentant, & in vrbium circulis verſantes, ignoran tiam ſuam veſtibus cooperiunt; quos merito, inquit Hypocrates, ex veſtitu cęteriſque ornamentis quis cognoſcere poterit, vnde ſequitur ipſe, quo ſumptuo ſius fuerint ornati, eo maiore odio auerſandi, & ab eis, qui eos conſpexerint, fu giendi, probis autem medicis, ex vſu fue rit, contrarium in eis ſpectare, qui ſeſe, ex cultus venuſtate, & frugalitate non tam ad ſuperfluam curioſitatem, quam ad optimam exiſtimationem, prudentiam, & animi moderationem compara-

runt. Cum igitur ex Hypocratis ſenten-
tia externus cultus intima animi pate-
faciat, procuret propterea noſter artifex,
ne luxu circumlatorum proprio, ad pom-
pam nimis exuberet, nec etiam vilibus,
ac immundis ſordeſcat veſtibus, ſed ſem
per, vt latinæ eloquentiæ parens præci-
cipit, adhibenda erit ei munditia, non
odioſa, nec exquiſita nimis, ſed tantum
quod fugiat agreſtem & inhumanam ne
gligentiam; quod præſertim medicis
procurandum, cum eorum exiſtimationi
maxime conducat. Qualis namque
à vulgo in medicum veneratio eſſe po-
terit, qui non dilectu, aut ſapientia, ad
iudicandum ducitur, ſed externis valde
mouetur, ſi medicus ſordidis veſtibus &
irriſui, & faſtidio hominibus eſt, nonne
quotidie experimento certo diſcimus
plebem, opinione potius, quam rei veri-
tate, cuncta diiudicare? quomodo quę-
ſo, ciuiles homines, diuites ac prępoten-
tes, ſordidum medici aſpectum, forſanq;

fętidum, nauſeam intuentibus excitantem, ferre vnquam poterunt? merito nãque cum Seneca dicent, qualem intra putas eſſe animum, cuius extra imago tam fœda eſt? Et tamen, ò eui dedecus, in arte noſtra quamplures comperiuntur, qui non inopia, ſed opulentia potius laborantes, contra præceptoris præceptum, veſtitu adeo vili, ac ſordido, ita hominibus ſordent, vt merito quamuis doctrina vſuque excellant, parui tamen fiant, raroque ad nobilium curationem accerſantur, qui profecto, cum non minus veſtitu, quam abiecto ſint animo, indigni iure cenſendi, vt eorum cuſtodiæ humana ſalus committatur; præſertim ſi corporis immunditiei (quod vt plurimum experimur) inſatiabile auaritiæ vitium ſit coniunctum. Quid etenim immanis auaritiæ bellua, inquam ſunt conuerſi non deuaſtabit, trucidabitque? nonne fides, probitas, pudor, pudicitia, omnia denique bona, ei vilia erunt, quem vndique

ſordidum hoc venenum vitiauit? Quamo brem optime reſpublicæ ſalutis cōſultum videretur, ſi legibus, ac pęnis ab hoc ſalutari medendi munere huiuſcemodi arcerentur medici: Tu igitur legitimus Hypocratis ſectator (cui ſoli hęc ſcripſimus) hanc fuge peſtē, ſordidamq. deuita auaritiam, quæ vt audiuiſti, omnia venalia habere edocet, cunctaque animi euertit ornamenta. Quare ſaluberrimis procerum monitis ad vnguem parens doctus medicus, munda, ac mediocria pro vrbis vſu, in qua medicinam exercet, ſibi ſeligat veſtimenta tali corporis ornatu iuncta, vt in omnibus eius aſpectus ſummo ſit languentibus oblectamento; nec etenim, quod euentus comprobabit, leuem hac arte apud omnes ſibi captabit opinionem.

Famam

Famam nominiſque opinionem medico per quirendam, multumque ad hanc conducere beneuolentiam, aut boritati permixtam.

CAP. III.

QVAMPLVRIMIS mortalium in eo ſtare conſilia perſpicimus, quid ſibi ſolis conducat, medicorum autem diuerſam eſſe ſortem, quotidie experimur, quibus multitudinis cauſa, cui inſeruiunt, præcipua rerum non tam ad perfecta artis ſtudia, firma medici fundamenta, ſed etiam ad famam nominiſque gloriam dirigenda felici ſemper euentu vſus edocuit. Quamuis ergo prudens, perituſque artis medicæ artifex, qui non nomine tantum, ſed reipſa medicus eſt, ab aura populari non inaniter efferatur, pro viribus tamen

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſtudere debet, vt apud homines quamplurimi fiat, quo magis ipſi fides ab ægrotis adhibeatur; de quo namque concepta talis opinio eſt, ægros magis obſequentes habeat, cuique magis ægri parent, is facilius ægritudines curat. Vnde refert Galenus, quamplures Pergami à medicis derelictos à ſacerdotum tamen dęmonibus fuiſſe perſanatos; non Deorum potentia, non præſtãtioribus ex arte præſidiis, ſed quia ſacerdotum mandatis à medicinæ fontibus exhauſtis, ita religioſe obtemperabant infirmi, vt aliqui totos quindecim dies ab omni potu præcipiente Demone abſtinerent. Vnde etiã inter cauſas, quibus neceſſariam medico prænotionem, venerandus Senex litteris tradidit, hanc omnium primam recēſuit, vt ſe ſe homines maiori cum fiducia medico, futura præſagienti, committant, quę in morbis curandis tanti ponderis eſt, vt merito referat Conciliator, a ſe quamplures grauiter ægrotantes priſtinæ, ac ſecundæ

cundæ valetudini fuiſſe reſtitutos, quod alii prudentes, ac eruditi medici, conſequi vnquam haud potuerant, non quia ipſe validioribus aduerſus morbos vſus fuiſſet præſidiis; Sed quia adhibitis remediis, ob præclaram curantis famam, maxime fidebant ægroti; quare ſolicitus admodum eſſe debet noſter artifex, qualem in vrbe conſequatur famam, quia, qualemcumque meruerit, magnam proculdubio habiturus eſt, cum omnia tam præclara, quam turpia artis opera, populi rumor excipiat, ſtatimq; per omnium volat ora. Vnde illud ſemper fixum artificis memoriæ inhęreat, quod contemptum, ac ſemel inuiſum medicum, ſeu bene, ſeu malafacta premunt; non ſolum igitur doctrina, firma gloriæ baſi, ſed etiam externo cultu, omnique alio apparatu, famæ, præclarique nominis exiſtimationi, medicus inſeruiat; hac etenim, vt frequens comprobat euentus multa multi conficiunt aliis impoſſibilia, apud

quos non raro,quod falſo creditum fuit, veri vicem obtinuit, ſolaque ægrorum obſequentia, firmaq; fiducia, ad quæ obtinenda medici fama validiſſima eſt,deſperatos aliqui vixerunt morbos; quæ proculdubio fama,ſi ſolidis innitatur fundamentis, prout prima læta,ſecundaque ſucceſſerint,fore ſic quoque impoſterum vniuerſa,ſperandum. Hanc autem excelſam famæ fabricam non parum firmabunt hæ duæ ſolidæ, beneuolentiæ, auctoritatiſque,columnæ, ſine quarum altera, infirma mutilaque ab omnibus ſemper iudicabitur. Et vt à primę erectione exordiar, veriſſimum ſemper Platonis effatum omnis æui comprobauit euentus, neceſſariam eſſe ad res graues gerendas hominum beueuolentiam, quia auſteritas amicorum ſolitudinem parit; quod ſanè præceptum valde medico neceſſarium, antea hiſce verbis ſignificauit ſummus Hyppocrates medicum vrbanitatem quandam ſibi;

adiunctam habere conuenit, auſteritas enim, tam ſanis, quam ægris difficilem acceſſum prebet, vnde ſapiens, vir amabilis ad ſocietatem magis amicus eſt, quã frater. Quare cum ob humanam imbecillitatem medici opera omnes aliquando indigeant, cum omnibus quaſi parens cum liberis amore viuat, vatis precepti memor.

Tu ciuẽ, Patrẽq; geras, tu cõſule cũctis;
Non tibi, nec tua te moueant, ſed publica damna.

Vnde non tantum ſerena fronte, placidiſque verbis, ſed etiam factis in grauibus omnium animos ſibi deuincat, aſſiduaque promptitudine omnibus equaliter ſubueniendi, tam diuitibus, quam pauperibus, amorem omnium ſic ſibi conciliet, vt ſimul etiam authoritatem ſuam integre tueatur, quod abſque dubio facile aſſequetur, ſi colloquiis ac præclaris

ris operibus reuerentiam quandam, ac ſublimem venerationem,de ſe eiuſque doctrina hominibus quibuſcum vixerit firmiter impreſſerit; niſi enim medicum (inquit Galenus) æger, vt Deum quendam admiretur, nunquam illius præceptis obtemperauerit; vnde ad medici perfecti finem auctoritas quoque perquirenda,quam præter doctrinæ, ac virtutis meritum (quibus maxime pendet) non parum firmabit quoque externarum rerum concurſio: Quare imprimis Hypocratis Decreto, vultus eius ſit ad prudentiam compoſitus, haud aſper tamen ne ſuperbus, & inhumanus videatur;nec pariter in riſum facile labatur, nimiamque præſeferat lætitiam, ne leuis, ac moleſtus cenſeatur; ſermonem quoq; graue in eo laudo,quia quemadmodum ſapienti viro (inquit Seneca) inceſſus modeſtior conuenit,ita etiam oratio preſſa,non audax; qui moderatur ſermones ſuos ex ſapientis ore,doctus,& prudens eſt. Quare multum

tum,ac nimium ſermonem velut linguacium circulatorum proprium,ſponte reprobo, quorum omnis vis, virtuſque in lingua tantum ſita eſt, & plerumq; quod euentus approbat, garrulis medicis ineſt loquentię multum,ſapientię parum,cum doctrinam oretenus exerciti, haud vnquam animum ſtudiis, boniſque artibus induant; hunc ergo (quiſquis es) loquacitatis ſcopulum deuita, quia,ut ſapiens adnotat,in multiloquio non deerit peccatum, qui autem moderatur labia ſua prudentiſſimus eſt. Quare noſtri artificis ſermo cautus, parcus, ſoliduſque ſit; inceſſum quoque per urbem modeſtum teneat, cauendam enim eſt ne in ingreſſu,uel tarditatibus utatur mollioribus, uel in feſtinatione nimia ſuſcipiat celeritates, quæ cum fiunt,anhelitus mouentur, uultus mutatur,ora torquentur, ex quibus magna ſignificatio fit, haud animo adeſſe conſtantiam, quare corporis motus mediocritatis Limites haud ex-

cedat,

cedat, à uulgo quoque frequenter, ſi fieri poteſt recedat,quia nimius,aſpectus minus uerendos homines ſatietate facit, uileſque plerumque medici,qui nimium ciuiles ſunt, doctrinæ namq; maior ex longinquo reuerentia; uitato ergo aſſiduę conſuetudinis faſtidio,auctoritatem ſuam medicus quandoque abſentia tuebitur,cuius etiam erit ad hanc firmãdam nunquam ſponte ægrorum curationi ſeipſum offerre, promptitudo namque, & facilitas medendi,effuſe oblata,ab ægrotis contemnitur paruique fit, quamuis alioqui ſummæ benignitatis officium illud ſit. Illos pariter derelinques, apud quos fides tua aliquo pacto ſuſpecta eſt, unde magis medicum, quam morbum pertimeſcunt;fulcrum ſane hoc authoritatis ab Hypocrate firmiter fixum funditus euellere contendunt quamplures noſtri temporis medici, dum blandimentis, lenociniis, occurſationibus, atque denique ſumma ui ad ægrotos ul-

tro

tro accedunt, ac malis artibus in magnatum domos ingrediuntur, popularemque quærunt ſauorem; quamuis merito ab Hyppocratis decreto recedētes, ſemper reijciuntur, nihil vnquam proficientes; immo talibus officiis facilius eorum detegitur ignorantia, quam tamē aſſiduis obſequiis velare conantur; id namque huiuſcemodi callidis, ac inſciis hominibus contingere experiemur, non prudentibus ac eruditis, à quibus non magis auctoritatem, quam doctrinam ipſam, legitimam eius genitricem, ſeiungimus. Cum ergo hucuſque cōmemorata ad auctoritatem medico comparandam validiſſima ſint, ipſorum exacta obſeruatione hanc amplexabitur noſter artifex; Ac denique haſce duas pretioſas beneuolentiæ, auctoritatiſque gēmas ſpecie diſpares, prudētiæ auro tali iungat artificio doctus medicus, vt sēper i llud omnibus undiq; eluceat; Nec facilitas authoritatem, nec auſteritas amorē diminuet.

Vir-

Virtutem medio valde neceſſariam, ac præſertim aliquas eius ſpecies in eo collucere debere.

CAP. IV.

CVM diuitiarum, & formę gloria, fluxa atque fragilis ſit, cæteraq; mortalia temporis momenti corruant, ſolaque virtus clara æternaque habeatur, iuremerito hucuſque præfata pro nihilo cenſenda, niſi prę omnibus animi cultus ita medico curæ exiſtat, vt ſemper in omnibus eius actionibus, probitatem atque virtutem, ante oculos habeat, probe tenens, omnia pręter hãc fortunę dominati, eſſe ſubiecta. Cũ igitur virtus ſit proprium hominis bonum, omniaque ei ad ſint bona, quem penes eſt virtus, ad hanc propterea confugiat noſter artifex; quia ſine hac callidias, & malitia erit omnis eius prudentia, aduer.

aduerſaque ei ſemper obtingent, qui ſine hoc clauo audacter per vndoſum medicinæ mare vela dabit. Vnde imprimis hæc medico paranda, vt in qualibet eius opera præclare ſemper effulgeat: non minus etenim decorum, quam iuſtum eſt, vt ille probitate cæteris emineat, qui humanæ vitæ languioribus auferendis ab altiſsimo fuit conſtitutus; vnde haud illi humanæ ſalutis ius ac imperium competere cenſendum, qui non melior exiſtat iis quibus imperat; Res enim ſacræ (inquit ſummus præceptor) Sacris ſolum hominibus demonſtrantur; non igitur ſola quamuis exacta medendi ars legitimũ, ac numeris ſuis perfectũ medicum facit, niſi pariter eximiæ partes accedant huius adminiſtræ comiteſque virtutis; quas veluti medico proprias, ſeu neceſſarias breuibus hic ſpargam. Quanta igitur imprimis corporis integritate, modeſtia, caſtitate, debent illi fulgere, qui in omnium domos, ipſarumque penetralia omni

ni tempore libere ingrediuntur, quibuſq. viri vxores, parentes filias, virgineſque Deo sũmo votis ſacratas, ſummi viri ſalutis cauſa committunt? Medicus enim referente Hypocrate, nunquam non fere cũ mulieribus, virginibus conuerſa tur, reſq. magni prætii contrectat, à quibus omnibus ſibi temperare debet. Quare huius negotii pondus alibi rectè perpendens exactus Hyppocrates, ſe caſte, & ſancte uitam, & artem ſuam ſeruaturum, iureiurando promittit. Deus bone, quot præclaris ingeniis hanc luxuriæ cladem exitio fuiſſe quotidie in arte noſtra perſpicimus? quibus conſonat ſapientis effatum propter ſpeciem mulieris multi perierũt; non ſolum igitur exitioſam hanc luem, ſed leuem quamuis falſam eius ſuſpitionem fugiat prudens medicus, ne ipſum omnes iuſte fugiant, ſcientes curantis animo libidinis labe infecto nihil ſanum honeſtumue, ineſſe poſſe. Quanta præterea in uictu temperantia uti tenentur medici

dici, non ſolum, vt eorum exemplo, tam ſani quam ægrotantes, hanc quam conſu- lunt medentes libenter amplectantur, ſed etiam, vt iacentis languoribus dextere ſubuenire idoneis præſidiis valeant? quomodo namque ſalubria præcepta ab eis vnquam emanabunt, qui in luxum epulas nocturnoſque cætus, ſe omnino offundunt, vinoq; præter modum indulgent? luxurioſa res (inquit ſapiens) vinum, & temultuoſa ebrietas quicumque his delectatur non erit ſapiens : vnde diuinus Plato, Magiſtratibus toto eo anno quo magiſtratu funguntur, vinum interdicit; Gubernatores etiam atque Iudices munus ſuum obituros, à vino penitus arcet, quemadmodum deliberaturos de rebus non negligendis. Cum igitur in morbis curandis ex medici deliberatione mors, & vita hominibus plerumque pendeat, iuremerito hæc Platonis lex omnium primos inuiolabili eius obſeruationi medicos deuincit, in victu ergo iuxta Præ-

ceptoris edictum ſint medici frugales paucisque con tenti. Quali denique fide actionumque integritate, inniti debent medici, quibus non ſolum infima plebs, ſed etiam Reges, ſummique Imperatores propriam concredunt vitam? plane etenim perfidioſum, & nefarium eſt fidem frangere, quæ hominum uitam continet, cuius præcepti recte memor admirandus Hyppocrates, nec vero, inquit, vllius prę ces validæ apud me adeo fuerint, vt cuipiam venenum ſim propinaturus, nec etiam ad hanc rem conſilium dabo, nec ſimili ratione mulieri peſſum corruptitium ad fętum corrumpendum exhibebo, ſed ſcelere puram tum vitam, tum ætatem meam perpetuo præſtabo; hanc ergo fidem humani pectoris ſanctiſſimum bonum, ſic morum integritate apud omnes ſibi cōciliet doctus medicus, vt nulla vnquam neceſſitate ad fallendum eum cogi, aut vllius præmio corrumpi poſſe, pro comperto cuncti habeant. De quo

ve-

vere ſcripſit Poeta:

Iuſtum, & tenacem propoſiti virum,
Non ciuium ardor praua iubentium
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida.

Qua forti integritatis armatura indu. ctus olim Phylippus ille magni Alexandri medicus, letales in ſe iniectos proditoris ictus reparauit, inaneſque reddidit, qui cum fidus admodum Regi eſſet ei graui morbo detento non præceps, ſed ſtrenuum remedium allaturum, tantamq. vim morbi potione medica poſt tertium diem leuaturam, promiſerat. Inter hæc à Parmenione purpuratorum fidiſſimo litteras accipit Rex, quibus admonebatur, ne ſalutem ſuam Phylippo committeret, mille talentis a Dario, & ſpe nuptiarum ſororis eſſe corruptum; at Alexander hac pariter actione non minus quam orbis victoria vere magnus, magis medici integritati, quam amici monitis cre.

 den

dens allatam ab ipſo potionem intrepidus aſſumpſit eodem tempore litteras medico oſtendens, vt tunc merito agnoſceret, quantum ob integerrimos eius mores ipſi fideret. Sed non minus etiam in medicis ſplendere debet pietas, ac caritas in pauperes atq; egenos; quod ſummopere Hyppocrates hiſce verbis commendat, ſuadeoque, ne inhumaniter nimis te geras, ſed, & opum affluentiam, & facultates reſpicias, interdumque gratis cures, ita vt memoris gratitudinis potiorẽ, quã præſentis exiſtimationis rationẽ habeas, quod ſi vel hoſpiti, vel egeno, largiendi occaſio ſe offerat, his vel maxime ſuccurrendum eſt, qui enim erga homines humanum ſe exhibuerit, is artis amore teneri cenſetur, multi namq. ægri cũ ſciunt, ſe morbo minime ſalutari teneri, etiam medici probitate ſanitati reſtitutos eſſe, celebrari gaudent; hæc ſi non ſolum Hyppocrates litteris prodidit, ſed etiam religioſe fuit executus, ſique etiam

ſola naturę lex hęc ethnicis indidit, quid nos chriſtiani facere debemus? caueamus, quæſo, ne ab illis pietate, ac caritate vincamur, immo Ducis noſtri exemplo æque beneuole pauperes, ac diuites excipiamus, egentibus, ac peregrinis, alimento, habitatione, ac præſidijs ſubuenientes; hanc etenim regiam ſi calcabimus viam, non ſolum cuncta nobis læta fecundaque ſuccedent, ſed etiam dum vitali hac fruemur luce, ad ueræ glorię faſtigium, diuinitatemque quandam certo tramite perueniemus. Sique omnis æui, qui in arte noſtra floruerunt, duces, ex hiſtoriis perquiramus, ſumma ſemper pietate, erga egenos fuiſſe reperiemus; hoc tu quoque (quis quis es) libenter ſequare clementiæ vexillum, ſummus namq. Dux, Deus Optimus, te vbique ſoſpitem, incolumenque ſeruabit, ſi tu pariter ſub hoc pietatis ſignum cæteros, ac præſertim pauperes infirmos ſeruabis, ſi contra ille quoque à cuſtodia tui corporis ocu-

los amouebit, tanquam ſpurii militis veſtigia Ducis haud ſequentis; vnde ſponte cades, nec vnquam ad ſublimia artis peruenies. hæc ergo ſunt præclara illa animi ornamenta, quæ niſi poſſideat noſter artifex, nunquam perfecti medici nomen, gloriamque conſequetur, quod admirandus Hyppocrates non ignorans, ad opinionem, ac authoritatem ſibi comparandum nihil magis conducere medico ſcripſit, quā honeſtis, ac bonis moribus eſſe præditum, talis namque cum fuerit omnibus admirandus, ac venerandus merito iudicabitur.

Vrbis

Vrbis ſitum, Regionem, aeris naturam aquarum vires, hominumq. victus, ac mores diligenter medico perquirenda.

CAP. V.

QVEMADMODVM ad victoriam tutius comparandam plurimum conferre ſcribit militaris doctor, ſi priuſquam ſolers Dux ad certamen accedat non ſolum ſuum hoſtiumque exercitum optime noſcat, ſed ſimul etiam locorum ſitum, regionis naturam, hoſtium viuendi genus, ac mores probe teneat. ſic pariter doctus medicus præter fidum doctrinæ clypeum, hac pariter forti, quam nuper optimorum morum fabrefeci armatura indutus, ac defenſus contra morbum pugnaturus victoriam facile conſequetur, ſi priuſquam pugnam aggrediatur

tur diligenter vrbis, in qua medicinam exercet, ſitum, regionem, aeris naturam, aquarum vim, hominumque in ea degentium victum, ac mores perquirat, teneatque, innixus aureis prudentiſſimi Senis monitis hæc conſulentis. Quare ſi quis ad vrbem ſibi ignotam peruenerit, is eius ſitus curam habere debet, vt cognoſcat, quomodo ad ventos, aut ſolis ortum ſit expoſita, nec enim eaſdem vires habent quæ ad ſeptentrionem, & quę ad auſtrum ſita eſt, vt nec eius quæ exorientem ſolem, aut occidentem ſpectat. Imprimis ergo iuxta Hyppocratis edictum vrbis ſitus ſpectandus, cum ob variam huius differentiam, aerem immutari contingat, qui vnus teſtante Hyppocrate mortalibus omnibus, tum ſalubris, tum inſalubris vitæ, præcipuus creditur author, cum aſſiduo corpora pertingat noſtra, in ipſorumque intima permeet, vnde cum maxima, nobis cum aere intercedat communio, ex vrbis ſitu, ac præpollentibus

in ipſa

in ipſa ventis diligenter aeris tum ſubſtantia, tum qualitas perquirenda, quacumque enim præditus fuerit natura,ea ipſa corpora tandem afficiet noſtra, cum ipſa reſpiratione, per os, & nares cerebrum attingat, eodemque tempore per aſperam arteriam pulmones, cor,ipſaſq; repleat arterias,ac per totum corpus temporis momento diffundatur. Quare ad immutanda corpora noſtra merito efficacisſimus cenſetur, cum multum interſit, an ſerenus,vel turbidus, tenuis,vel craſſus,purus, vel impurus,temperatus, vel intemperatus exiſtat, admodumque diuerſos,pro diuerſa ipſius natura non ſolum in animantibus, ſed in ſolidiſſimis quoque corporibus producat effectus,vnde merito,aſſerebat Hyppocrates, morbos vnquam vix aliunde quam ab aere oriri poſſe,cum is aut copioſior,aut parcior,aut etiam plenior, & morbidis inquinamentis infectus in corpus ſubierit, & quemadmodum aeris ad morbos infli-

gendos

gendos vis maior, quam cæterorum eſt, ita non minus efficax experitur ad eoſdem oppugnandos, vnde merito ob eius vim, in morbis longis patrium ſolum vertere conſulit prudens ſenex haud ignorans, ab aere ſæpe propulſari mala, quæ nullis artis auxiliis alibi antea ceſſerant, quemadmodum ergo in temperata regione ſi vrbs loco edito fuerit fabrefacta, cæliqne ſtatus placidus exiſtat, fruaturque aere tenui, lucido puroq. nec ventorum vehementia feriatur, homines, qui in ea vitam degunt, ſecunda corporis valetudine fere ſemper gaudebunt; nec ipſorum temperamenta ab ortu contracta aeris vi valde immutabuntur; ita profecto ſi regio feruida, vel gelida fuerit, vrbſque auſtro, ſolique expoſita, vel è contra ad aquilonem conuerſa, cælique temperies, vel auſtrina, vel aquilonia; admodum varia, prout hunc, illumue ſitum urbes obtinuerint, morborum genera contingent; nec immerito in vrbium ſitu ventorum

torum

torum vim imprimis conſiderat Hyppocrates; nam cum multiplex ſit ipſorum natura, atque temperies, à diuerſa eorum vi in vrbe prædominante, varie corpora noſtra immutantur, variiſque ſubiiciuntur affectionibus; ventorum naturam huc non tradam, cum ad aliam ſpectet tractationem, vberrimeque ab ipſo Hyppocrate ſit expoſita, quemadmodũ etiam quæ commoda, vel incomoda, ex vario locorum ſitu hominibus contingant, diligenter ipſemet in proprio volumine perquirit, in quo pariter memoriæ tradidit aquarum facultates quibus in vrbe homines vtuntur, ſumma cura eſſe inueſtigandas, longoque probandas vſu; quemadmodum enim guſtu, & pondere, ita & facultate, ſingulæ plurimum differunt, vnde cum aquarum potus magis permanentem, ac inhereſcentem corpori materiam præſtet, quam aeris inſpiratio, validius propterea, ac efficacius ab aquarum, quã ab aeris mutatione noſtra affici corpora

vere

vere prodidit phyloſophus, innixus ad hoc probandũ altera ratione, ex maiori, vbique aquarum, quam aeris differentia deſſumpta, quippe ſi peregre fuerimus profecti, inquit ipſe, ſpiritum prope eundem de cælo ducimus, admodum tamen variã aquarũ naturã experiemur, quod phyloſophi placitum alias fuſius declarabitur, certiſq. coercebitur limitibus; diligens ergo erit medicus circa aquarum obſeruationem, num Vrbis incolæ paluſtribus, & mollibus utãtur an duris, & ex ſublimi, ac ſaxoſis locis ſcaturientibus, ſiue ſalſis, ac coctu difficilibus, cum uitioſarum aquarum uſus, non exiguum pabulum morbis gignendis ſuggerat, corporaq. noſtra uehementer immutet, unde aquarũ mutatio magis cauẽda eſt phyloſophi teſtimonio, quã alimẽtorum, quia nempe plurimum aquæ abſumimus, in pane, obſoniis, ac potu, quarum omnium naturam à prudente ſene loco citato diſces. hæc autem omnia enarra-

enarrata facile aſſequeris, ſi præter clyma, cui urbs proprie ſubiacet, ſtellarum etiã motus magnitudines earum, diſtantiaſque à terræ centro, ordinem ſpherarum cæleſtium, Solis, Lunæque defectus, diligenter in ipſa obſeruaueris aſtronomia; ex hiſce namque, aliiſque huiuſcemodi motibus, ac paſſionibus corporum celeſtium iudicare, ac cognoſcere facile poteris, omnes mutationes naturales, quę huic ſublunari mundo contingere, prædicit aſtrologus; quod ſi cui iſta (inquit Hyppocrates) ad rerum ſublimium ſpeculationem pertinere uideantur, is ſi ſententia deſtiterit, facile intelliget ad artem medicam, aſtronomiam ipſam, non minimum, ſed plurimum potius conferre, quippe cum una, cum anni temporibus hominum uentriculi mutationem accipiunt. Terra pariter ipſa, tum regionis, tum urbem circunſtans, diligenter conſpicienda, nuda ne ſit, & aquis careat, an denſa, & irrigua, an cauo loco ſita ſit

ta ſit, & æſtuoſa, an ſublimi, & frigido, quare, ut Poeta tradit.

Ventos, & varium cæli prædicere morem
Cura ſit, ac patrios cultuſq. habituſque locorum,
Et quid quæque ferat regio, quid quæq. recuſet.

Hominum quoque uictus ratio, quanam maxime delectētur proſpiciēda, an potui, & cibis, & otio dediri, an exercitationibus, & laboribus, & an edaces ſint, & à potu ſibi temperent, & ex eis ſingula reputare oportet; hæc enim præcipue quidem omnia, aut certe plurima, qui probe cognouerit, cum ad urbem ſibi ignotam deuenerit, eum nec morbi regioni familiares, nec cōmunium, quæ ſit natura latere poterit, ut nec in eorum curatione heſitare, aut aberrare poſſit, quæ certe contingere ſolent, ſi quis iſtorum cognitionem non ante animo per-

ceptam habuerit, qui vero iſta recte cognouerit, is cuiuſque temporis impendentis, & anni ſtatum prædicere poterit, & quinam morbi, tam æſtate, quam hyeme in vrbe communiter, ſint graſſaturi, quinetiam, quinam cuique priuatim, ex victus mutatione impendere debeant, qui namque temporum mutationes, aſtrorumque ortus, & obitus, vt horum quæque eueniant, tenuerit, is vtique futurum anni ſtatũ prȩuidere poterit. Non mihi ſed Hyppocrati hæc ſcribenti libenter auſcultã quibus, ex animo caput hoc conſigno.

Almæ

Almæ vrbis ſitus deſcribitur; aeris, aquarumque natura aperitur, hominum victus notatur quibuſq. ſit obnoxia morbis, exponitur.

CAP. VI.

CVM medicinam hucuſq; multis abhinc annis feliciter, ac honorifice in vrbe omnium facile præclariſſima exerceamus; ingrati merito, ac ſegni animi existimari poſſemus, ſi in communi, ac obiter deſcriberetur terra, vt Plin. tradit, omnium terrarum alumna eadem, & parens, numine Deum electa; quæ quamuis alias eodem teſte, cælum clarius faceret, ſparſa congregaret imperia, ritusque molliret, & tot populorum diſcordes feraſq; linguas ſermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret, breuiterque vna cunctarum gentium

tium in orbe patria fieret, labente tandem annorum curſu, cũ ad ſummum dignitatis, ac ſplendoris faſtigium perueniſſet, communi illa, ac fatali ſummi Dei lege, qua vult cuncta mortalia corruptioni eſſe obnoxia (quod non ſolum animantibus, ſed, & regnis, atque vrbibus contingere vſus, & rerum antiquarum memoria hiſtoriis relicta ſatis edocent) ita non ſolum floridum eius imperium penitus euanuit, ſed vrbs præclariſſima toti prælucens orbi, ſic à variis diſcordiis fuit obtenebrata, barbarumque potentia labefactata, armiſque diruta, funditusque ita euerſa, vt vix in ea veſtigia apparerent à quibus dignoſci poſſet, vrbs ea, quæ olim orbis caput, & domina fuerat, namque, vt ille tradit.

Omnia mortali mutantur lege creata,
Nec ſe cognoſcunt terræ vertentibus annis.

Sed quia ab omni æuo ſummi Dei cultui præcipue fuit deſtinata vrbs hæc ex eius propterea cineribus, atque ruinis tanquam Phenix ſub felici Pontificum dominio renaſcens, tali progreſſu ſenſim aucta eſt, vt merito nunc ſplendidior, ac illuſtrior, quam priſco æuo omnibus aliis emineat, cum in ea tot admirandis edificiis ornata ſummus reſideat Pontifex Dei leges Regibus, ac Imperatoribus, omnibuſque aliis aperiens, vtque ipſi has ipſas amplectantur imperans, atque, denique ſi opus quoque fuerit, ſumma eius potētia cogens, quod olim Vates quamuis mente alio verſa, hiſce prædixit verſibus.

Huius natæ auſpiciis, illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olimpo.

Orientalis igitur vrbs hæc eſt, ſub quinto clymate poſita, à quo ipſum denomi-

natio.

nationem ſumpſit dyarrhomes, polariſq; eleuationis gradus quadraginta duos obtinuit; per eam tot annorum ſeculis decantatus pertranſit fluuius Tiber à Rege Tybri ſic dictus, olim Albula nuncupatus vnde Poeta.

--- Aſperque immani corpore Tybris
A quo poſt Itali fluuium cognomine tybrim
Diximus, amiſit verum vetus Albula nomen.

Qui in partes inequales ipſam interſecans vrbem, per amęnam ſiluam rapido curſu mari Tyrrheno, haud procul ſeipſum permiſcet, vt optime obſeruauit poeta, hæc tradens;

Atq. hic Aeneas ingentem ex equore lucum
Proſpicit, hũc inter fluuio tyberinus ameno
Vorticibus rapidis, & multa flauus arena
In mare prorumpit.

Siniſtra ergo eius ripa magnam vrbis partem Latium dictam amplectitur, dextera vero exiguam, ſuburbanum nempe vicũ burgum vocant, in Etruria contentum retinet., & quamuis auorum noſtrorum temporibus, tota fere inconuallibus ſitá eſſet vrbs, in præſenti tamen non exigua eius pars, vt antiquo æuo in montibus eſt collocata ſummorum Pontificum, & præſertim Pauli Quinti felicis memoriæ opera, à quo vrbis præcipua pars in montibus olim fabrefacta, temporumque iniuriis penitus deleta, in ſplendidiorem formam noſtris temporibus reſtituta eſt; tota autem fere meridiei, ac ſeptentrioni eſt expoſita, vnde ab auſtro, & aquilone illinc flantibus magno impetu rigide pulſatur; defenditur autem præſertim pars in conualle poſita à ventis ab ortu, & occaſu ſpirantibus interiectis ex vtraque parte montibus, huius temperies cum in meridiem magis diuergat, merito calida, pluſque iuſto humidior cenſetur; humi-
ditate

ditate etenim iure excedit, tum ob maris viciniam, tum ob magni fluuii præſentiam, tum ob aquarum multitudinem ad vrbem magnis ductibus deductã, tum deniq. ob propriã ſoli naturã ſubterraneis aquis affluentis; vnde mirum non eſt ſi ab aſſiduis vaporibus, vndique ſubleuatis, aer fere ſemper craſſus caliginoſus appareat, taliſque re uera ſit. Aquarum diuerſarum vbertatę fruitur Roma, quæ licet admodum inter ſe differant, aliæq; aliis ſint pręſtantiores, omnes tamen craſſæ, duræque exiſtunt, taleſque vſu probantur, ſiue ob cauſam ab Hyppocrate allatam, quod aer plurimum matutinum tempus occupat qui aquæ permixtus illius ſplendorem obſcurat; nec enim, inquit ipſe, niſi in altum euectus ſol ſplendeſcit, ſiue, quia ipſarum fontes minime ad ſolis ortus, præſertimque æſtiuos decurrunt, quarum etenim fontes ad orientem ſpectant, hæ præ omnibus aliis ex Hyppocratis ſententia optimæ ſunt,

cumque ab authoribus grauibus, qui de hiſce ſcripſere, vnaquæque harum exacte ſit explicita ipſarumque natura pate facta, hic propterea ſiſtam, victumque Romæ degentibus, vt plurimum peculiarem, breuibus etiam perſequar; familiaris eſt ergo, atque conſuetus Romæ incolis victus non equidem tenuis, mediocriſue, ſed plenus, craſſuſque, quod tamen mirum cuiquam haud eſſe debet, nam cum alimenta ob aeris, ſolique naturam in magna mole exiguum nutrimentum corpori præbeant, ob virium defectum coguntur homines, & ſæpe, & multum comedere qua pariter de cauſa ab immodicis vacuationibus valde leduntur, facileque ipſorum reſoluuntur corpora; ex quibus omnibus rite animaduerſis facile quiſpiam colligere poterit morbos, vt plurimum Romæ vernaculos, ac familiares, quis etenim in tanta aeris, ſolique humiditate, ac craſſitie capitis læſionem a ſuperfluiſque repletionem non pertime-

meſcet? quare inter peculiares Romæ morbos imprimis, connumerandus aſſiduus prouentus ſuperuacanei excrementi in cerebro, vnde mirum non ſit, ſi perennes ab ipſo ad varias partes fluxiones emanent, quod ſymptoma Galeni etiam tempore Romæ admodum frequens erat, hinc etiam quamplures, & præſertim pueri epilepſiæ admodum ſunt obnoxii, aliaque quamplurima ab hoc fonte perpetuo profluunt mala, quorum connumeratio ad hoc opus minime attinet; huic tamen enarratę affectioni iuniores capiplenium merito dixere; rurſus vero morbus Romæ proprius, & a quo fere omnes corripiuntur, excitatur a multitudine humoris frigidioris, pituitoſi a vētriculi intēperie producti, quod pariter, & ob aeris nebuloſi, craſſiorisq; naturam, & ob excrementiam alimentorum naturam, nec non ob ipſorum nimiam quantitatem contingere exiſtimādum eſt; hinc febres non exquiſitæ, ſed

fere sẽper notæ, ac ſpuriȩ; hinc cruditas acida hinc alia quãplurima excitãtur mala, & præſertim ſummus corporis lãguor qui tertius morbus dici poteſt, nam quamuis ob aeris craſſioris vim, ciborumque craſſi ſucci naturam, & corpora, & carnes augeri videantur; quauis tamen de cauſa etiam leui, breui concidunt, magnuſque uirium languor ſequitur; ſed cum hæc inſtituti noſtri terminos pertranſeant, pedem hic figamns feliciſſimam vrbem ſub feliciſſimis auſpiciis Gregorii XV. derelinquentes, ob cuius ſummam prudentiam, tali tranquillitate omnia adminiſtrantur, iuſtoque eius imperio adeo leges ad unguem ſeruantur, omniumque litterarum genus ſic viget, earumque ſectatores talibus afficiuntur prȩmiis, vt merito iuſtius nunc poetæ carmen canere liceat.

Tutus bos etenim rura perambulat.
Nutrit rura Ceres, almaque fauſtitas,

Pa-

Pacatum nauigant per mare nauitæ
Culpari metuit fides.
Nullis polluitur caſta domus ſtupris,
Mos & lex maculoſum edomuit nefas,
Laudantur ſimili prole puerperæ,
Culpam pæna præmit comes.

De primo Medici ingreſſu ad infirmos.

CAP. VII.

SI in omnibus præſtantium virorum actionibus prudentia tanquam ipſarum norma directrix requiritur, quia ſola hęc vt Plato admonuit, præit, & ducit ad recte faciendum, & velut oculus animæ honeſta a deterioribus, vtiliaque a noxijs diſcernit; peculiariter magis in qualibet etiam minima medici actione fulgere debet, cum in morbis, & necis, & vitę auctor apud omnes cẽſeatur. Quare poſt exactam vrbis notitiam ab ægro-

tis

tis ſalutis cauſa accerſitus doctus medicus, imprimis Galeni monitis diligenter caueat, ne eum intempeſtiue, aut temere inuiſat, & cum multo ſtrepitu, aut inceſſu, aſpectuue, aut aliquo huius generis indecoro, ſed modum hiſce omnibus adhibeat, lætaque eius facies tanquam ſereni cæli nitentis floridum ægrotanti ſalutis euentum ſpondeat; cumque ſolius valetudinis amiſſæ recuperandæ cauſa, ad infirmum accedat medicus, omniaque circa ipſum obſeruare teneatur, nec in tenebris (vt Celſus notat) nec a capite ægri debet reſidere, ſed illuſtri loco aduerſus eum, vt omnes notas ex vultu cubantis proſpiciat; eam autem corporis figuram ſedendo eligat, quæ, nec humilis, & contemptibilis ſit, nec etiam fauſtum, arrogantiamue præſeferat. Imprimis ergo paucis, placidiſque verbis ægrotantis animo firmato, attente eum audiat, vel aſtantes, ſi mentis compos non ſit, aliterue impeditus; qui enim prius reſpon-

det

det(inquit Sapiens) quam audiat, ſtultū ſe eſſe demonſtrat,&confuſione dignum; poſtea vero neceſſaria tantum ad morbi notitiam, eiuſq. curationem attinentia interrogabit; nam quamuis ipſe ſupremū morbi genus ęger explicet,ex interrogatione tamen idonea,ad infimam eius ſpeciem peruenit medicus, quę certę ipſum arguit eruditū, ſi quęrit nō aliena,nō infimas aliquot differentias, ſed quæ ſine medio genus propoſitum diuidūt,donec ad poſtremā deueniat ſpeciem mali,quo laborat. errata vero quæ medico faſſus fuerit infirmus,ſi res id poſtulat, vel ille exigit, ſilētio inuoluat ęterno, nūquā enim ille in arte proficiet cui tacere graue eſt;ſapiētiſſimum præceptorem noſtrum ad vnguem ſequaris dum ait, quæcumq. vero inter curandum, aut etiam medicinam minime faciens in communi hominū vita, vel audiero,vel videro, quæ minime in vulgus efferri oporteat,ea arcana eſſe ratus ſilebo, quare ſilentium de

ægro-

ægrotantis rebus tanquam optimum, ac tutiſſimum artis præſidium medicus amplectatur,&cum ſapiente dicat:Quis dabit ori meo cuſtodiam,& ſuper labia mea ſignaculum certum,vt non cadam ab ipſis, & lingua mea perdat me? quid vero ipſe loquatur optime prius animaduertat, quæque effundit verba,antea æqua lance penſitet, præſertim coram erudito ægro aſtantibusue peritis, nam cum ſermo effuſus ſanam, vel inſanam aperiat mentem,ex inconſiderato, confuſo, nec ſibi conſtante ſermone ſæpe contemnitur, paruique fit medicus; hoc ergo fallax naufragium incautis ac nimis loquacibus valde noxium ſumma circunſpectione ipſe deuitet; nec pariter (quod garrulis ignauiſque medicis hodie proprium eſt) imperante ſummo Hyppocrate cum imperitis multa confabuletur, ſed neceſſaria tantum,quare nullo pacto morbi ideam eiuſque cauſas, cæteraque artis medicæ arcana plebeiis, ac ab arte

alienis

alienis ad pompam fruſtra explanare contendat, id namque non ſolum artis haud patitur maieſtas, ſed ſæpe non leue huiuſmodi medicis attulit detrimentum morbi natura vna cum curatione vulgari genti patefacta; nam cum ex ſola artificioſa coniectura aliquando præſidia à medicis adhibeantur, quod crebro fieri, & Galenus admonet, & neceſſitas poſtulat, accuſantur medici, quaſi experimẽta cũ alienæ vitæ diſcrimine tentantes. hæc ergo lues tam noſtro ęuo vagans à peritis medicis euitetur. Et vt etiam plurimi fiat, maioremque apud ægrum ſibi fidem conciliet noſter artifex, imprimis domus, & maxime cubiculi ſitum, magnitudinem animaduertat, & vtrũ ad aquilonẽ, vel ad meridiem ſpectet, ſeu potius ad ortum, ſeu ad occidentem, vtrumque anguſtum, ſeu ſpatioſum, illudque ſemper præferatur, quod magis laborãti conducere videbitur; domus namq; locus ex Hyppocratis ſentẽtia, tam cõmodus habeatur

beatur, vt nec accidens ventus moleſtiã afferat,nec ſol,aut ſplẽdor grauis ſit: lucis.n.ſplẽdor ,inquit Hipp. medẽtibus quidẽ nõ eſt moleſtus,ſed nõ ſimiliter ę-grotãtibus,is enim prorſus vitandus eſt per quem oculos offendi contingit. quare procuret ne ſplendori facies ſit aduerſa; oculorum enim aciem debilem moleſtia afficit: cum quælibet occaſio debiles oculos perturbare poſſit; denique ad laborantis lectum, cubiculi feneſtras ac ianuas oculos conuertat, ſiq. aliquod in his abſurdũ , ꝙ infirmo officere poſſit, inueniet, mutatione in melius aliterue corrigat;fidiſſimo nãq; experimẽto multoties obſeruauimus præſertim in longis morbis ſalubrem non tantum alterius loci, ſed ſolius etiam cubiculi mutationem fuiſſe ægrotis, nec exiguam conſulenti medico gloriam attuliſſe; peſſimum nam que, vt Celſus tradit, cælum eſt,quod ægrum facit (addo ego, & ſeruat) adeo vt in id quoq; genus,quod natura peius

eſt

eſt ſalubris mutatio cenſeatur. hiſce ergo rite animaduertis vbi quid ea die tunc fieri debeat iuſſerit, diſtinctè ac ordine quodam miniſtro experto ægrotantis curam ſuſcepturo explicet, nam cum Hyppocratis decreto non ſatis ſit medicum ſuum feciſſe officium, niſi ſuum quoque egrotus, ſuum aſtantes faciant, propterea ſtatim de miniſtro medici mandata tempeſtiue executuro flagitabit, an ad tale munus idoneus ſit, prudēs, & cautus, & vtrum, alias tali munere bene fuerit perfunctus diligenter perquirat; qui nāq. iam ſæpius grauioribus ſumma diligentia præfuerit morbis, aptior ſemper ad ægroti res gerendas merito iudicabitur; nec hoc in minimis ponas, magnū namq. hoc ſalutis humanæ negocium, magnis vndique egere adiutoribus aperte conſtat. Tandem laborantem ad vnguem omnibus, quæ ipſe præceperit ſalutis cauſa morem gerere ſuauiter admoneat, rationibuſque, dum opus fuerit, ad id compellat,

lat,

lat, vnde poſtea maioris obſeruantiæ gratia interdum ſalutis ſpem afferat, interdumque mortis metum intendat, ac deniq; ægrotantium naturæ, ac moribus ſua foreGaleno, ſeſe aliquantum accommodet, nonnulli enim inquit ipſe fabellas enarrantibus delectantur, nonnulli eos faſtidiunt, alii grauibus & ſeriis ſermonibus gaudent, aliqui facetis, caute tamen & ſummo cum iudicio his ſeſe applicet, præſertim à propria arte valde alienis, ne dum omnia ſapere contendit ab externis detentum multa alia artis propria fugere, alii credant, tibiq. obiiciant intemperantiæ genus eſſe, plus ſcire velle quam ſatis ſit; vere namque dicitur, qui fructuoſa, non qui multa ſcit, vere ſapit.

Qua-

Qualis amicorum ſermo cum infirmis, animique perturbationes ab eis eſſe abdicandas.

CAP. VIII.

AD hoc, vt omnia in morbis curandis feliciter, ac ex voto ſuccedant, nõ ſolũ ex ſummi Hypp. placitis, requiritur docti Medici diligentia, laborantis obſeruantia, aſtantiumque promptitudo, ſed præter hæc debent pariter externa rite, ac optime eſſe comparata; nam per ea ſpreta, vt optime Galenus exponit, plerumque vel prognoſim, vel curationem, vel vtrumque interpellari, atque impediri contingit: cumque inter externa ea, quæ ægrotis nunciantur, iram, triſtitiam, aut alium quempiam affectum ægrotanti adferentia præcipuè connumerentur; prouideat propterea Medicus,

cus, vt ex familiaribus (ſi morbi ſæuitia id non penitus prohibeat) illi tantum infirmum viſitent amici, qui iucundi, admodumque grati ei exiſtant; omnium namque rerum iucundiſsima eſt amicitia, nec eſt aliud quicquam, quod æque delectet, quare vbi ab acerbis diuerſorum malorum tortoribus crudeliter vexatur, ac torquetur infirmum languentis corpus, vultum intueri beneuoli amici iuuat, qui conſoletur, animumque addat periclitanti. In primis ergo, fere ſemper apud ipſum immorentur illi tantum, quibuscum libere agere poſſit, vt coram eis, abſque vllo reſpectu, aut verborum ambitu, huc, atque illuc, prout ei magis arridebit ſeipſum vertere valeat, ſique mingendi, aut aluum deonerandi neceſſitas occurrat libere eos dimittat: Semper autem eorum ſermo de rebus gratis, ac lætis exiſtat, nec de periculoſo morbi ſtatu, alteriusue graui ægritudine, ſeu morte, verba vnquam
fa-

faciant; timidi namque, vt plurimum laborantes ſunt, puſillique animi, obque ancipitem morbi exitum ſuſpecta bona ſua ſemper habentes, leuique cuiuslibet ſermonis ſuſpitione de propria ſalute iam deſperantes: quare amicorum munus erit languentis timidum ſubleuare animum iucunda narratione, ſuauique eloquio à morbi conſideratione ipſos auertere. Caueant pariter ad infirmum accedentes, nec ipſum libere increpent, obiiciantque errata, ob quæ in præſenti forſan iuſte vexatur; id namque non ſolum nihil ad ſalutem confert, nullamque aufert doloris partem, ſed potius iram addit dolori, & afflictum magis exacerbat. quare tale reprehendendi munus ad ſalutis tempus reſeruandum; ſiquidem & nutrices ad pueros lapſos, haud accurrunt cum conuiciis, ſed prius erigunt deoſculantur, abluunt, & componunt, tandem obiurgant, ac puniunt; ſic pariter res lan-

guentium, haud recipiunt obiurgandi libertatem, ſed potius humanitatem, & ſubſidium deſiderant. Cumque pariter ex Celſi præcepto ſemper ægros ſecuros agere conueniat, vt corpore tantum, non etiam animo laborent, tum præcipue, vbi cibum ſumpſerunt, procurandum propterea eſt, vt ſi qua ſunt, quæ exaſperatura eorum animos ſint, eadem eorum notitiæ ſubtrahant, ſi id fieri non poteſt, ſuſtinere tamen poſt cibum vſque ſomni tempus, & cum exporrecti ſunt, tunc exponere; quod tamen officium præſtabit numquam Medicus, ſed ſemper grauis, prudenſque vir, qui ſumma cum dexteritate ac iudicio amara dulcibus permiſcere ſciat. Sed cum ob corporis languorem animus ita iaceat, vt omnia mæſta fæda, ac triſtia illis videantur; propterea ſumma induſtria ex Galeni quoque monitis procurandum, vt cultiore degant conclaui, vaſaque ſimiliter cibum, potumque continentia, quam

quam mundiſſima ſint, flagranteſque adſint flores, qui non ſolum iacentium oculis pergrati, ſed morbo quoque vtiles exiſtant. Vt igitur omnibus modis fractum infirmi erigamus animum, non ſolum ea omnia quæ moleſtiam ſunt allatura ab eius oculis auertemus, ſed curam illis tantum permittemus miniſtris, quibus maxime delectatur, & ex gubernantibus eos, qui gratiſſimi ſunt apud ipſum commorari decet; alios vero, aut nunquam illius cubiculum ingredi, aut non diutius ante eius verſari oculos. Hæc igitor explorans Medicus ipſe conficiet, ac diſponet; nonnulla uero & abſque indagatione ſponte dignoſcuntur: ſæpius enim, inquit Galenus, inſpectante ægrotum, atque curante Medico, ſeruus aliquis ingreſſus certum hominem veniſſe nunciauit, qui ipſum uiſere, ac ſalutare cupiat; tum protinus hoc audito ægrotans, nonnunquam lætari uiſus eſt, nonnumquam uero ma-

gnopere contriſtari tanquam ab homine ipſum non uere amante, ſed fingente, moleſtiam paſſurus ſit, atque tunc Medicum oportet cum quis ingreſſus eſt, quem laborans non libenter aſpiciat, paulo poſt aliqua uoriſimili ratione quietem ægro conferre dicere, & hac de cauſa omnes, ut ab eo recedant præcipere: conſtat enim, quod tunc una cum non amicis amici egreſſi, haud ita multo poſtea introire poterunt; quibus ſane uerbis prudentiſſimus Galenus, non ſolum Medicus in externis comparandis diligenter inſtruit ſalubrium præceptorum monitis, ſed etiam exemplis, qui perueniat ad optatam metam uelut manu ducit. Sed & animi perturbationes, quibus tanquam procelloſis fluctibus languentem iactare cognouerit, placido ſermone, clariſque rationibus temperare, ac pro viribus ſedare ſtudeat prudens Medicus, & vt diuinus Plato memoriæ prodidit, animæ prius curationi incumbat,

bat, ſi corpus à malis liberare deſiderat; quemadmodum enim, inquit, ipſe oculos ſine capite curare non decet, nec ſine reliquo corpore caput, ita nec ſine anima corpus, eaque cauſa eſt, cur Medicos græcos multi lateant morbi corporum, quia totum ignorant, quod imprimis curare decet, quo male affecto impoſſibile eſt partem aliquam bene valere; omnia namque, vel bona, vel mala ab animo in corpus, & hominem totum emanant; hac mirabili Platonis doctrina præditus non ignobilis medicus Criſippi diſcipulus apud Antigonum Regem, amicum quendam eius, notæ intemperantiæ negauit poſſe ſanari. Cumque alter Medicus Epyrotes Philippus ſe ſanaturum polliceretur, ſapienter reſpondit, illum ad morbum ægri reſpicere, ſe ad animum; nec eum res fefellit: ille enim cum ſumma diligentia non Medici tantummodo, ſed etiam Regis cuſtodiretur, tamen malagmata ſua de-

uorando,bibendoque ſuam vrinam in exitium ſe præcipitauit: certiſſimum namque experimentum quotidie commonſtrat,plures intemperantiam ,quam vim morbi occidere;Hyppocrates noſter hoc optime quoque fuit expertus , vnde hiſce verbis de hoc conqueritur; ceterũ eos,qui ob morientium calamitatem artem demoliri contendũt,vehementer miror,quanam memorabili ratione commoti, intemperantiam quidem morientiũ cauſam mortis non ſtatuant ; ſcientiam vero eorum,qui medicinam exercẽt,accuſent . Cum igitur tanti ponderis in morborum curatione ſit animi lues,hanc propterea nũquam deſpiciat doctus Medicus , immo ad eam oculũ ſemper intendat,ſummaq. prudẽtia animi impetus cõprimat,ac moderetur,ſi corporis morbos facile debellare peroptat. Cũq. ſex præſertim numerari ſoleant animi perturbationes,ad quas facile ceteræ omnes reducuntur,metus,meſtitia,ira,gaudium,ago

nia, verecundia, debebit prudens Medicus horum naturam cauſas, ſignaq. optime perpendere: ſic etenim, & quomodo à naturali ſtatu corpora noſtra immutare valeant, quomodoque ipſis ſit ſubueniendum tutus decernere poterit.

Primum Medici munus eſſe, cognoſcere morbum, quid faciendum eo ignoto.

CAP. IX.

VEriloquium hoc tanquã ſimpliciter in arte firmũ, ac valde neceſſarium nobis ſcriptũ vbique reliquerũt artis medicæ proceres, in morbis curandis caput eſſe, noſſe morbum; eumq. victoriam facile aſſecuturũ, cui omnia hoſtis nõ minus quã ſua, nota erunt, ꝙ tũc felici ſucceſſu aſſequetur doctus Medicus, vbi priuſquã ad præſidia

aſcen-

aſcendat in particulari cognouerit, quæ ſit peculiariter in corpore ſedes affecta; quo deinde affectu ipſa vexetur, ac tandem quibus ex cauſis pendeat, originemque habeat; hęc autem cum ſæpe in intimis corporis partibus deliteſcant, nec viſu, ſenſibusque aliis percipi poſſint, ac propterea tunc magna inuoluantur obſcuritate, ſignis ab arte deſumptis tanquam rerum inditiis niti tunc tenetur doctus Medicus, in corporiſque interiora ſic mente penetrare, reconditaque aperire, vt velut oculis manifeſta cernere ipſa videatur, alioquin ſine horum luce cecutiet ſemper in morborum curatione imprudens artifex, huc, atque illuc, leui qualibet de cauſa temere fluctuans; quibus ergo non temeraria, aut fortuita empiricorum ſecta, ſed recta, ac rationalis morbis ſuccurrendis methodus curę eſt: ſi ſecundis ventis ad ſalutis portum ægrotantium nauem perducere optant; ſique animo prius,

ac deinde nominis gloriæ vna ſimul conſultum eſſe volunt, in exactam horum notitiam, ſumma imprimis diligentia incumbant, cum abſque hiſce tota curationis fundamenta corruant: nam ſi morbi natura prçſidii genus indicat morbo ignorato, ceſſat proculdubio remediorum lux, cuius defectu mirum haud eſt, ſi plures Medici in morbis curandis, turpiter allucinentur; vnde aliquoties muliercularum perſuaſione contrarii vſu ſummo Medicorum dedecore ſanitati laborantes reſtituantur; nunquam ergo auxilii genus decerni poterit, haud cognita affectionis natura, quemadmodum nulla vnquam apta eius admotio fieri valebit, ignota ſede peculiariter affecta, quæ tanti ponderis eſt, vt morbos ob locorum varietatem, & diſſimilitudinem, nihil inter ſe habere ſimile iudicet Hyppocrates, qui prius referebat morborum omnium eundem eſſe modum, ſolaque loci differentia inter ſe diſcriminari,

minari,

minari; quamuis ergo refrigerandum eſſe affectus indicet, quantum tamen, & quale debeat eſſe refrigerans præſidium vna cum vtendi idonea ratione locus præcipue commonſtrat affectus; ſique denique ab effectrice cauſa, quæ adhuc manet inchoanda curatio eſt, nonne vt demoliatur exacte prius erit agnoſcēda? Diligenter ergo Hyppocratis monitis perquiret Medicus quænam ſit morborũ cauſa,& ex quo principio,ac velut fonte corporis vitia oriantur,nec vnquam in grauibus morbis magnum aliquod præſidium abſque prædictorum notitia Medico vſurpandum, ſed cum obſcuriſſimos, & difficiles morbos, ab Hyppocratis ore,opinio potius, quam ars iudicet, exactaque ipſorum cognitio diuinationi fere proxima exiſtat:quid vbi hæc acciderint Medico perito moliendum? profecto in his(vt idēmet Hyppocrates ibidē tradit)plurimũ imperitiæ peritia præſtat,qua propter ſi docto Medico abſcon
datur

datur morbi natura cæteraque prædicta, nondum ſibi cognita perſpectaque ſint, haud ad præſidia magna feſtinandum, ſed imprimis rem totam naturæ committas, quæ proba viuendi lege innixa, per ſe ſola leuiores morbos ſanare, quē admodum grauiores breui patefacere ſolet; nec hæc parui facias monita, quamuis ab Arabe præſcripta, præſertim vbi de hominis agitur vita, incerta quippe curatio, & irrita nonniſi vitæ diſpendio exequi poteſt. Sique Galenus noſter in febre ſynocho cum omnibus plenitudinis notis in iuuene venæ ſectionem ab omnibus indicatam, in tertium tamen diſtulit diem aliorum quoque Medicorū conſenſu, vt certius inquit eſſemus, cuius nam generis febris eſſet, cur tu ſic audacter in morbis forſan penitus tibi ignotis, magnis præſidiis vitā hominis in diſcrimen poni iubes? quod ſi abſque certa morbi cognitione aliquid forſan experiri cogeris, nec ob eius ferociam am-

plius

pliùs iam adſit quieti locus,tunc quia in arcto, & res ægrotantis ob morbi ſeuitiam, & tuæ ob eius ignorantiam exiſtunt, hoc in re ancipiti laudabile amplectaris conſilium, vt à leuioribus exordiaris auxiliis quæ artificiali coniectura profutura ſperaueris, nec etenim ſi ab ſcopo aberraueris, ob leue adhibiti præſidii pondus inſignem languenti inferes noxam; quod ſi non ſolum grauis iactura non ſit ſecuta, ſed contra tali ſubſidio leuior mitiorque euaſerit morbus, agnoſcens recta te ductum fuiſſe coniectura, audacius iam maiora aggredieris; hac incedere via præceptor noſter non ſine magno emolumento aliquoties conſueuit, cæterique artis heroes hunc pariter multoties ſunt ſubſecuti. Quare tu quoque in dubiis hac gradieris,ſumma ſemper cautione, vt ſi non proſis ſaltem ne ledas; turpis namque eſt calamitas,ab eius manibus ſubleuandis hominum languoribus deſtinatis, ma

ius

ius ſalutis detrimentum, grauiusque vitæ diſpendium innocenti infirmo prolabi. Nihil ergo ab erudito Medico magis alienum cum doctiſſimis viris exiſtimabo, quam abſque vlla morbi notitia in properandis auxiliis temeritatem audaciæ iunctam. Sed cum multoties ob magnam morborum inter ſe affinitatem, atque ſimilitudinem, difficilis admodũ nobis vnius cuiuslibet reddatur cognitio, haud ſcientibus vnum ab altero ſeiungere, quod Galenus non in alio, ſed in ſemetipſo fuit expertus dubitans, ſeu potius ignorans vtrum nephnitide, ſeu colico torqueretur dolore; non propterea tunc ab omni curatione nos deterreat Hyppocrates litteris tradens, haud curari poſſe morbos, niſi prius cognoſcãtur, cum alibi hanc ipſe demoliri difficultatem tentando doceat; vnde Galenus clyſtere vſus fuit, quemadmodum ipſe fomentis, cum vtriq. affectus eſſet ignotus; recta tamen, ſummaque methodo

inni-

innitebātur præſidia adhibentes, non quatenus morbi inter ſe diuerſi, ſed ſecundum id in quo communiter coibant, quemadmodum in pleuritide, ac peripneumonia dum vnam ab altera ſeparare neſcimus, non propterea ab omnibus abſtinemus præſidiis, immo recte tunc ſanguinem mittimus, quia vterque affectus in hoc communicat, inflammari nempe, interiores corporis partes, & magno vexari morbo, quare ſanguinis miſſio non ab eo quod ignoratur, ſed ab eo quod ſcimus indicatur: talem ergo methodum à præceptoribus traditam, atque fideliter executam in huiuſcemodi ſequemur morbis; atque in omnibus talem artifex adhibeat diligentiam, vt ſemper adhibiti præſidii non ſolum probabilem, ſed ſatis firmam rationem cuilibet afferre ſit paratus, non certe minori cura, quam ſi antiquum Chartaginenſium edictum ſibi rigide eſſet pronunciatum, qui Duces bella prauo conſilio gerentes
etiam

etiamſi proſpera fortuna ſubſequuta eſſet, cruci tamen ſuffigebant, quod bene geſſerant Deorum immortalium adiutorio, quod male commiſerant ipſorum culpæ imputantes. Quare nunquam fortuitam eorum curationem velut cæcam, ſeu temerariam imitabitur prudens, ſeu rationalis Medicus, quamquidam traditos ſibi ægros, qui ſub ca utioribus Medicis trahebantur, interdum contrariis remediis ſummam vim naturæ inferentibus ſanarunt; vnde quos ratio non reſtituebat, temeritas adiuuauit; quia talis medicina authore Celſo, plures interimit, quam ſanat; circumſpectique Medici munus eſt curare appoſite ad ſanandum, quod præſtabit, ſi infirmo tuto imprimis, deinde cito, ac iucunde præſidia adhibeat; quare eorum libenter ſequor ſententiam, quibus cauta conſilia cum ratione, quam felicia ex caſu magis probantur; quibus non ego, vt nihil aga-

 tur

tur moneo, ſed vt agentem te ſemper ratio ducat, non fortuna, non temeritas; ſed quemadmodum in morbo dubio, ac ignoto regia eſt hęc via, ita in certo vilis, inutilis, infelixque cunctatio; illoſque vehementer damno qui inutili mora ſubueniendi, tempora ſemper deliberando conſumunt, & timore perterriti, ne quo ledant modo multas proficiendi amittunt occaſiones; oportet ergo Medicum donec morbū agnoſcat conſulere lente, cognito vero, conſulta feſtinanter exequi.

Quo-

Quomodo in præſagiis Medicus tuto ſe gerat.

C A P. X.

SEd iam obſcura ſatis, ac tenebroſa præſagiorum nox occurrit, quæ iure obſcuræ noctis nomine inuoluitur; quia non ego tenebroſus homo, ſed præclari alii viri ſumma doctrinæ luce illuſtrati hic ſæpe caligamus; & quamuis Hyppocraticæ Lunæ ſplendor inuiam in hac alta præſagiorum nocte illuſtrauerit viam, ſignaq.admirabilia in ſuis monumentis recondita nobis impreſſa reliquerit, quæ in morbis ſalutis,& mortis oppoſitum diſcriminant iter; quis tamen in volubili, ac fluxili laborantis corpore, ita exacte ea comprehendet, vt varium morborum euentum tuto ſemper definire poſſit? quiſque tam lynceus vt in tan

tis tenebris nihil offendat?cum ergo difficulter certus morborum exitus quamuis ab erudito Medico redigi valeat in certa quædam, & ſtricta præceptorum vincula, quia inſtabile totum, ac fluctuans temporis momento, eſt humanũ corpus prænotionis ſubiectum; propterea viam nunc Medico ſignabo, à ſenioribus magiſtris diligenter obſeruatam, feliciqque ſucceſſu ab eiſdem ſæpe excurſam; qua velut aſtris fixis innixus adeo certum, directumque iter tenebit, vt profundas temeritatis, falſitatisue foueas, in quas plerique temere incidunt facile vitare poſſit. Attente audi, quiſquis es, ſi auctoritatem, nominisq. gloriã, multo partam labore, toto vitæ in arte curriculo tueri deſideras, in eaque perennare vis, dum in ancipite res ægrotantium ſunt, præſagium ſuſtine, nec vnquam ardente diuinandi ſiti deflagrans ad morbi euentum prædicendum intempeſtiue properes; haud etenim (expertis crede)

per.

perſiſtit, nec ad vltimum exit, niſi lenta præditio; quæ tuta vt ſit, exacta ſignorum notitia mortem, aut ſalutem firme indicantium ei ſemper præcedat, plebique interim de morbi exitu moleſte flagitanti, reſpondeat cautus Medicus negocium adhuc circa principium exiſtere, quo tempore incertæ admodum ſunt mortis, aut ſalutis præditiones. Interea tamen, vt Galenus caute admonet, prædictas ſignorum facultates diligenti examine perquirat, & vbi hæ tuto definiri poſſunt, præſagire conator: ſi autem quid obſcurum fuerit ſequentem diem expectare oportet, porro ſi nihil in ipſo quoque firmiter prædicere poſſumus, ſatius eſt tacere, quam temere pronunciantem falli, atque contemni; tantique ponderis in hac firma expectatione ſitum eſſe exiſtimauit Galenus, vt ſe idcirco nunquam (quod imbecillitatis humanæ limites pertranſire videtur) in vita circa morborum euentum

fuiſſe deceptum multoties glorietur; quia nunquam quamuis moleſte laceſſitus intempeſtiuam proferre ſententiam properauit, haud ignorans nihil tam eruditorum exiſtimationi aduerſum, quam in præſagiendo celeritas; quæ licet primo aſpectu, & Medico ſatis glorioſa, & abſtantibus valde grata appareat, vtriſque tamen morbi progreſſu non raro dura, ſolique Medico multoties tandem aduerſa, triſtiſque euaſit; vnde cum lentos ſemper veraces reddat prædictio, eorum libenter amplector ſententiam aſſerentium, temeraria præſagia impetu, cauta vero mora valeſcere; & optimo quidem iure, nam ſi Medicus, vt Galenus teſtatur, non vatis inſtar futura præſagit, ſed ex præſenti morbi conſtitutione, viriumque ſtatu exacte perpenſis, morborum impoſterum prędicit exitum, cum multa ab extranea, fortuitaque obtingant cauſa, nullamque obtineant in corpore ſuæ generatio-

rationis originem, quomodo quæſo hęc ſubita, temerariaque prænotione comprehendi poterunt? nec etiam eodem teſte, quæ dumtaxat morbi vi efficiuntur, certam ſortiuntur præditionem; poteſt enim (quod ſępe accidit) ſuperuacaneus humor irrequietus, ſeu turgens in nobiliorem aliquam irruere partem, vnde mors neceſſario ſequatur, vel ex principalioris receſſu ad ignobiliorem certa ſalus; ſed quomodo qui cæca, improuidaque feſtinatione ad præſagiendum ducitur horum vnquam certum attinget ſcopum? ſed nec etiam (proſequitur idem) dum humor immotus manet, manifeſtaque victoriæ apparent inditia, tuto poteſt diligens Medicus mor borum prædicere euentum, niſi ipſa ſalutis, ſeu mortis ſigna firma ſemper ac conſtantia permanſerint, tunc etenim quo res euaſura ſit, tutus mentis acie præuidere poterit, naturę morbique vim præoculis ſemper habens; quemad

modum namque luctæ peritus luctatoribus ſæpe aſtans, eorumque conatus diligenter animaduertens, poſt aliquot cõflictus agnoſcit alterum ex luctatoribus victorem breui fore, antequam alter cadat; ita ſane doctus Medicus in pugna, quam Natura cum morbo aggreditur, ex pugnantium robore facile vnius victoriam in ipſamet prænoſcet pugna. Quæ omnia huc ex veterum decretis attuli, vt Medicos cautiores circa præſagia reddam. Audi Medicorum prudentiſſimum, hæc Medicis conſulentem: conſulo Medicis, vt quam prudentiſſime agant, tum in reliqua arte, tum in huiuſmodi prædictionibus, illius probe memores, quod ſi cui ſucceſſerit præſagiũ, is in admiratione habebitur, ſi aberrauerit, & inglorius erit, & odio habebitur; quo tanti viri conſilio commotus doctus Arabs medicos admonet, ne plebi indulgeant prædictionem aſſiduo flagitanti, velut negocium exigui momenti

ti

ti; qui enim in præſagiendo temerarii, ei indulgent, quamuis euentu felices ſemel iudicentur, cum à caſu proſpera illi ſuccedant, hiſce haud fidas, ſed pro certo habeas celeres iſtos in præſagiis celerem ſequi pœnitentiam, ſeram tamen ac inutilem; illius contra prædictioni plurimum credas, qui & mature deliberabit, & continuo ſic attente auream huic rei deſtinatam ab Hyppocrate doctrinam euoluet, vt in ægrotis non ſolum ſigna ſalutis & mortis perfecte diſtinguere valeat, ſed horum gradus, vim & efficaciam, ita exquiſite comprehendat, vt non ſolum euentum dexterum, ſeu ſiniſtrum, ſed etiam tempus, diem, ac horam eius aſſignet; quæ licet prima fronte ardua, ſeu impoſſibilia videātur, poſſibilia tamen, ac facilia vſu doctis euadent. Sed iure dubitabit quiſpiam, vbi morbi progreſſu in ambiguo res ægrotantium ſunt, ac propterea fluctuamus; quid tunc medico faciendum?

ſile-

ſilebit; artis tamen dignitas plerumque vetat, nec vulgus ſinit; cum ergo nihil eis præſagire queat pręter ſolam incertitudinem illis ſæpe morbis propriam, prȩſagium tunc ſub periculi nomen velabis, vt tandem longiori tempore velo detracto, mors aut ſalus manifeſte iam apparens præfato cõſonet, atque cohereat prognoſtico. Hęc clara illa lux eſt quæ te ab hac tenebroſa præſagiorum nocte educet, ſeu manu tuto ducet.

Nec

Digitized by Google

Nec apertè infirmis à Medico mortem prædicendam, nec vnquam ſolis prognoſticis in diſperato morbo deſerendum infirmum.

CAP. XI.

SVnt adeo languentium animi ob præſentem morbum mæſtitia ac timore offuſi, vt quãuis forti, ac conſtanti ſint à natura præditi animo, nunquam tamen illis mors palam ſit prædicenda à medico; tum quia horridum hoc mortis nuncium ex medici ore illatum, per ſe mortem inferre ſat eſt, viribus ſponte caden tibus, ac morbi vehementia iam fractis ob mȩrorem penitus collapſis; tum quia prudens æger ſi mente conſtabit nullo pacto ſuam amplius concredet vitam præſagienti medico, cuius famæ intereſ ſe putat, ne ille viuat. Imprimis ergo ſerena

rena fronte,iacenti oculos ad ipſum medicum velut ad ſalutare numen vertenti,interq.ſpem ac timorem ab eius ore pendenti ſuauiter referat, ſe Deo annuente priſtinam breui conſequuturum valetudinẽ, ſi ante omnia confeſſionis Sacramento animam ab omnibus expurgauerit vitijs, cæteriſq. ſacris eccleſiæ præceptis omnino obtemperauerit,ſiq. denique à medicorum mandatis ne tranſuerſum quidem vnguem diſceſſerit,ſeq: totum toto morbi tempore egrotantis ſaluti recuperandę dicatum vltro ſpondeat medicus, idque hilariter credat æger: ſi tamen lethalis exiſtat morbus,ita vt infirmo breui extrema iam immineat dies, eorum propinquis ac familiaribus graui,mæſtoq. animo veritatẽ aperiat, nã ſi æger morietur nemo in eum culpã reiiciet,qua de cauſa prænotionem medico valde profuturam inter alias cauſas nobis ſcriptum reliquit ſapientisſimus Senex; nunquam tamen ab ore benefi-

ci

ci medici mortis ſententia afflicto ęgrotanti proferatur; docto namque, ac prudenti medico, vbi in morbis terribile mortis nuncium eſt ferendum, aliis huic negocio deſtinatis id delegandum, vbi vero optatæ ſalutis, ac vitę, ipſi obeundum: nunquam tamen, nec in deſperata ſalute infirmum medicus deſerat, & abſque vllis præſidiis eum ſolo relinquat mortis pręſagio. Immo potius tunc fortiori animo eſt opus, nec vllum in tanta trepidatione munus omittat medicus cõſtantis Ducis; cuius acriter pugnantis fuſa acie, non ſegnis, ac immotus manet, fugamue ipſe turpiter arripit; immo tũc ardorem animi, vultu, oculiſque præferens occurſat pauentibus, retinet cedentes, vbi plurimus labor, vnde aliqua ſpes, conſilio, manu, uoce inſignis hoſti, conſpicuus ſuis; ob cuius magnam diligentiam, animique forti tudinem aliquoties uincentibus glorioſe uictoria à uictis fuit ad empta. Sic pariter doctrina, uſu-

que

que clarus medicus ſubſtitutus naturæ Dux,in pugna quam ipſe cum morbo aggreditur, vbi naturæ milites,vires nempe inclinare non ſolum viderit, ſed etiā iam mortifera illa Hyppocratica facies, cæteraque aduerſus ægros dominantis morbi victricia inſignia fuere explicita, non propterea naturam à vi morbi ferè victam,ac preſſam tu ipſe turpiter deſeras; immo potius audacius tibi tunc pugnandum,modo uitali cohorti, modo naturali expeditis ſubſidiis ſuccurrendo nunquam eam derelinquendo, quæ magis præmetur, plurimumque ad uictoriam pollere iudicabis; tu ipſe propria manu uirtuti cadenti ſubſidia porrige, ac miniſtra, pauidoſque, ſeu fractos naturæ milites ad pugnam excita ac refice, lapſoſque erige, ac præſentia tua languentibus robur inſpira, omnia denique pro uiribus experire, timidi namque atque ignaui eſt lapſu quamuis graui ſummæ rei diffidere, ad deſperationem-
que

que formidine properare, & præſertim in hoc naturæ cum morbo bello, in quo aliquoties victum mars erigit,affligitque victorem; pugnantium namque natura morbi ac virtutis, has babet vices, vt aduerſa ex ſecundis,ſecundaq.ex aduerſis exiguis momentis naſcantur; merito ergo à Chriſtiana pietate exulauit rigidum valde priſcorum dogma aſſerentiū nil medico moliendum, vbi nulla ſalutis ſpes fulget, quod etiam rationi, ipſique repugnat experientiæ; Ars etenim noſtra, vt Celſus tradit, coniecturalis eſt,rationemque coniecturæ eſſe idem tradit, vt cum ſæpe aliquando reſponderit interdum tamen fallat nos.

Quare, vt interdum medicis ſpes fruſtratur, & moritur aliquis de quo medicus ſecurus fuerat, ita pariter deſerti à medicis tanquam mortui aliquoties præter ſpem euaſerunt; vnde vir iure magni nominis Democritus, ne finitæ quidem vitæ ſatis certas notas eſſe propo-

ſuit

ſuit, quibus medici crediſſent; idque non in his tantum quæ peſtifera ſunt, ſed in his quoque quæ ſalutaria. Audi ſummum Arabum principem hæc nunciantem. O quanta timoroſa vidimus de caſu pulſus, ſudore frigido, ſimilibuſque, quæ tamen, ſanitas inſperata ſecuta eſt. Sed cum experimentis optime credatur, quia vſus omnium rerum efficaciſſimus cenſetur magiſter, artis propterea interroga peritos, qui continuo addiſcentes ad ſenium properarunt, vnde per ſua non per aliena didiſcere exempla, cum pleriſque variis morborum euentibus ipſi præfuerint ſeu interfuerint, tibique certiſſime vltro reſpondebunt, naturæ leges, ac medicorum dogmata in præſagiis aliquando irrita fieri, ſeque non ſemel dum certiora, ac tutiora apparuiſſent futuri euentus in morbis inditia, in ipſis tamen præſagiis fuiſſe deluſos, monſtraque non raro in arte quemadmodum in natura ab ipſis fuiſſe obſeruata, quę merito vni-

uer-

uerſam tranſcendebant præſagiendi doctrinam. Quod maxime tunc accidit, vbi quid diuinum ineſt in morbis, quia vt vir ſapiens tradit, occultat ſæpe morborum euentum Deus, vnde non raro mortis ſalutiſue cauſæ ſub diuerſa ſpecie latent. Quamuis ergo ex fidiſſimis Hyppocratis oraculis certa mors languenti immineat, non tamen ob id à ſalutaribus præſidiis, quibus prius innitebamur diſcedendum, quia vt fidus oraculorum interpres Galenus noſter ſuper ipſa diſerte admonuit: Neceſſariæ Hyppocratis leges nunquam raros excludunt caſus, nec perpetuũ aliquod medicinam admittere poſſe quotidiano diſcimus vſu; quod certe non ipſius artis, ſed humanæ imbecillitatis in tanta corporum varietate ſoboles eſt.

Conſultationem Medico neceſſariam, qualiſq; eius ſcopus.

CAP. XII.

SI omnis ratio, & inſtitutio vitæ adiumenta hominum deſiderat, ſique omnia Regna, ciuitates, nationes, & in arduis grauibuſque rebus ad conſultationem, tanquam ad quidquam ſacrum confugiunt, quid de medicina exiſtimandum, in qua difficillima adeo pertractantur, vt non raro morborum cognitio diuinationi fere proxima ſit, tamque grauiſſima, vt in curando erroris finis ſæpe ſit ipſius animantis internecio? Quamuis ergo qui curationi præeſt, doctrina, iudicio, ac experientia excellat, non tamen ſibi ipſi fidens dum laborantis vita in magno verſatur diſcrimine, conſultationes deuitet, ſeu contemnat; nam via ſtulti

inquit

(inquit ſapiens) recta in oculis eius, qui autem ſapiens eſt, audit conſilia; quamuis ergo medicus talis ſit, qualem nuper deſcripſimus, cum tamen homo exiſtat facile errare, labi poteſt, omni namque copiæ, inquit prudens Senex inopia ineſt, nemo eſt enim mortalium authore Seneca, quem non aliqua pars ignorantiæ attingat, hanc contagionem ex ipſa mortalitate traximus; quare errorem in homine quamuis ſapientiſſimo calumniari, eſt toti ipſi mortalitati conuitium facere; merito ergo à phyloſophorum facile principe ad Regem vere Magnum fuit conſcriptum Regium hoc dogma, conſiliari eorum quæ inter homines diuiniſſimum eſt; quod recte animaduertens prius prudentiſſimus præceptor noſter conſultationem à medico neceſſario eſſe amplectendam, dum morbi vis vrget hiſce perſuadet verbis; nec indecore ſe ille geret medicus, qui cum in anguſto illi eſſe videantur apud ægros res præſen

tes maxime imperitia illi tenebras offun dente, alios inſuper accerſiri iuſſerit, vt collatis amice rationibus hiſtoria ægri recte perueſtigetur, & illi mutuam operam conferant in auxiliorum copiam; optimo ergo prudentis Senis conſilio obtemperent, quicumque legitimæ eius doctrinæ ſectatores eſſe profitentur; & ne in morbis dubiis, ac vndequaque periculoſis capitalis inſcitiæ merito damnentur, adſumant in partem curarum alios, ſapientia vſuque in vrbe clariores, nec vnius mentẽ eſſe tunc tantæ molis capacem vltro fateantur, memores ſapientis edicti, quod vbi fuerit ſuperbia ibi erit & contumelia, vbi autem eſt humilitas ibi eſt ſapientia; nunquam ergo in dubiis grauibuſque morbis ſagax medicus alterius opem contemnat. Nam dum ægrotantem ſeuiſſima torquent ſymptomata, vireſque ob morbi ferociam iam languidiores inſigniter atteruntur, fortiuſque in dies morbus inualeſcit, ægrotantis

tantis

tantis affines non minus timore, quam mæſtitia confuſi,ob imminens vitæ periculum intenti ſemper in medicum triſtia ora tenent, ac ipſum velut præſentis damni participem quamuis innoxie clã damnant, ac vrgent; quare tunc plurima,& ob conſilii inopiam,&ob ſummam animi perturbationem à variis undique iactati,ſalubria medico licet erudito effugere præſidia & conſilia, nec unius ſcientia in tanta trepidatione poſſe cuncta complecti, quis ignoret? Conſultoribus ergo tunc opus eſt;tum quia, ut diximus, in rebus magnis ac arduis,pauca unus uidet,multaque neceſſaria omittit, tum quia diſſipantur cogitationes (inquit ſapiens ubi non eſt conſilium, ubi uero ſunt plures conſiliarii cõfirmantur, tũ deniq; quia laborantis affines ac eius amici optimi medici munere eouſque te fuiſſe perfunctum conſulendo ab ipſis audiant conſultoribus; unde culpam in morbi uehementiam,ac prauitatem non

in te ipſum reiiciant. Conſultorum igitur conſilia cum ægrotantis ſalutem pro meta gerendorum ſemper ſint habitura, non ſolum peritorum, ſed etiam veracium, pariterque proborum aliis ſemper præferantur, quibus ſemper conſultationis gubernaculum, lex diuina ſit; hi namque vita integerrimi, doctrinaque celeberrimi nihil falſo blandientes, odioue celantes puram, ac limpidam ſemper proferent veritatem, libereq; quæ ægrotis profutura exiſtimabunt ſemper exponent, ac conſtanter ſi opus fuerit ipſa tuebuntur, Vnamque tandem iacentis ſalutem præ oculis ſemper habebunt. Quare qui ægroti curationi præeſt, vt tales ſibi aduocentur adiutores pro viribus curet, qui ſimul & ſuis, & ægrotantis rebus abſque dubio proderunt humaniter conſulentes; quibus fideliter tum morbi hiſtoriam, tum quoque hactenus ab ipſo peracta ſũma veritate ac diligentia enarrabit, vt cuncti vnanimes fida

enar-

enarratione innixi ſingula agitantes vtiliter ægrotantis vitæ proſpicere valeant. Admoneo tamen artificem noſtrum, vt in conſulendo ſumma eius fulgeat doctrina, prudentia, ingeniique acumen; eſt etenim, vt vera fatear, hic conſultationis campus, in quo ab omnibus dignoſcetur noſter Athleta, quare magna cum dexteritate propoſitam doctorum metam attingere contendat. Conſultationi tamen velut rei grauiſſimæ nunquam aſtantes affineſue præſentes admittantur; id namque valde pernicioſum medicis & infirmis multoties fuiſſe vſus edocuit, non tantum ob diſcordiam quæ ſæpe inter medicos conſulentes naſci ſolet, vnde ſummopere ob aſtantibus damnantur ipſi de ægrotantium vita contentioſe altercantes; ſed etiam quod in grauium virorum conſeſſu multoties turpe, ac pudendum medico videatur à propria quamuis falſa diſcedere ſententia, vnde vnuſquiſque coram aſtantibus ſuam

pertinaciter tuebitur ſententiam quamuis forſan ægroto pernicioſam, ne ab aſſidentibus parui fiat, dum alterius veriorem ſequitur; quam tamen dum conſuaſores ſoli erunt libenter amplexabitur; ſi ergo affinium aſtantiumque præſentia ſæpe publicis medicorum conſiliis offecit, officietque, merito tanquam peſſimum iudicii conſulentis venenum ſemper deuitabitur; hæc ergo tam neceſſaria medicis lex inuiolata vbique ab omnibus ſeruetur, cum in ea pleruinque ægrotantis ſalus ſita eſſe uideatur. Poſt conſultationem autem quæ unanimiter in ipſa ad ægrotantis ſalutem fuerunt decreta inter ipſos, ſenior aſtantibus tantum affinibuſque grauiter enarret, ueraq; tam ad curationem quam ad præſagium attinentia exponat; infirmo autem ea tantum aperiet, quæ ipſius animum ad ſalutis ſpem ſubleuare ualĕant. Sed cum hæc loca illa plana ſint per quę tuto expandi poſſunt conſultorum uela, uada

iam

iam & ſcopulos adnotabo, quæ ſummopere ne in ipſa turpiter impingat cauere debebit noſter artifex, quæ ſequenti audies capite.

Quæ peculiariter conſultoribus uitanda, aptique ad hoc conſulendi munus decernuntur.

CAP. XIII.

SApientiſſimum dicunt eſſe eum ſapientes uiri, cui quod opus eſt, ipſi ueniat in mentem, proxime accedere illum, qui alterius bene inuentis obtemperet; qui autem nec ipſe conſulere, nec alteri parere ſcit extremi eſſe ingenii; de quo uere ſcriptum, cum fatuis conſilium non habeas, non enim poterunt diligere, niſi quæ eis placent: Quamuis ergo noſter artifex inter primos recenſeri conari debet, inter ſecundos tamen ab ipſa rei ue

ritate

ritate talium graduum iuſta diſpenſatrice interdum collocari benigne ferat; nedum iniuſte ad primum honoris gradum adſpirat, in dedecoris ſolium iuſte cadat. Qua de cauſa commendat Hyppocrates, vt conſultationes abſque contentione fiant, iurenamque iurando, inquit ipſe, affirmare auſim veram ratiocinationem medicam nihil medico allaturam, quod alium in inuidiam trahere poſſit, id enim imbellem eius doctrinam argueret, ſed qui forenſem quæſtum ſectantur facilius hæc facere ſolent; hæc Hyppocrates, quibus nos admonet, ne vnquam in conſiliis veritatem contentioſe oppugnemus, noſtram temere tuentes ſententiam, aduerſuſque meliorem peruicaces; abſit igitur ab hac ſalutari arte in conſulendo contumacia, quæ tamen noſtro æuo, proh dolor, quoſdam pugnaces adeo reddit, vt ſemper ſiniſtro animo aliorum ſententiis contradicant, conſiliique quamuis egregii, quod ipſi

non

non afferunt, inimici ſemper exiſtunt; vnde mirum cuiquam non ſit, ſi in humanam ſalutem grauiter peccantes, id ipſum ad quod adſpirant contentione deperdant, ſi quid namque auctoritatis in ipſis ineſt, aſſiduis contradictionibus deſtruunt, ac ipſos tanquam ſophiſtas cuncti merito fugiunt; & ſummo quidem iure, quia nimis hæc acria, & turbida ingenia turbandis potius, quam recte gerendis ęgrotantis rebus ſunt aptiora; Diſcordia pariter inter conſultores valde ſugienda, ne priuata eorum odia in ægrotantium exitium terminent; vnde medicos, qui de ægrotantis vita conſulunt ab affectibus vacuos eſſe debere clamant ſummi viri; nec immerito, haud etenim animus verum peruidet, vbi illi officiunt, ſique peculiaris inter ipſos iræ cauſa interſit, in domus limen, vt eam omnino deponant conſulo, Ariſtidem imitantes, qui Temiſtocli aduerſus, cum tamen vna in eandem legationem miſſi eſſent,
vbi

vbi ad vrbis portam ambo peruenerunt, Viſne ò Themiſtocles, inquit, inimicitias pauliſper hic deponamus, recepturi eas cum redierimus? non ignorans commune bonum abſque communione animorum recte nũquam poſſe adminiſtrari. Quod præceptum religioſe medicis obſeruandum, dum de humana conſulunt vita, ne alter alteri diſcors priuatis odiis miſeri iacentis ſalutem impediat, iuſtoque conſilio iniuſte refragans tanquam necis vere auctor iuſte damnetur. In conſilio ſimiliter doctorum medicorum libere vnuſquiſque ad infirmi ſalutem ſuam promat ſententiam licet amico Præceptoriue aduerſam; veritas namq; libertate prolata, quamuis in præſentia quibus reſiſtit, offendat, poſtea tamen illis ipſis ſuſpicitur laudaturq; illos namque ſemper improbos cenſebo, qui in conſulendo veri copiam non faciunt, ſed ſuſpenſa, & quo ducantur inclinatura proponunt, & ex euentu rerum aduerſa

ab-

abnuunt,& proſpera agnoſcunt. Et quã-
uis in hoc conſulendi munere ſeniorum
conſilia maximi ſint facienda, eorum in-
telligo, quibus corpus annis infirmum,
ingenium vero ſapientia validum eſt,
quia præter doctrinam vſu abundant,qui
vt quidam conſcripſit, omnium magi-
ſtrorum pręcepta ſuperat; cumque præ-
ceptis non tradatur, ætas eum denique
affert, vnde Poeta,

Seris venit vſus ab annis.

Nihilominus non eis ſemper tantum-
fidendum, ut non etiam multoties iunio
rum ſententiæ in operibus mediocriter
exercitatorum tanquam meliores præ-
ferantur; nam cum in florida ſint ætate,
ipſorum ſpiritus cum ualde tenuis luci-
duſque exiſtat, in ſe totum ſuſcipit phan
taſmata,totumque cerebrum ubi idola-
ſunt contemplanda prompte permeat,
ac inſtar lucidiſſimi ſpeculi claras repre
entat rerum immagines; unde fit, ut ui-
uidum eorum ingenium tum ualida, ac
prompta

prompta ratione, tum recenti rerum geſtarum in libriſque traditarum memoria, eo plerumque penetrat, quo languidum ętatis cadentis ingenium, & memoria imminuta, & ſpiritus tenebroſi craſſitie peruenire haud poteſt, quamuis doctrina diuturnaque excellat experientia. Eos etenim ſenes, qui ſola annorum multitudine confiſi frequenti vſui mentis exercitium in ſolida veterum doctrina haud iunxerunt, ſed ignorantiam ſuam tegunt, ac inumbrant hoc magno ętatis, ac experientię velo, hic non admitto tanquam ſpurios ac ſolum empiricos, à doctorum conſortio iam merito relegatos, quos ſemper claudicantes dignoſces, ob neceſſarii alterius medicinę cruris defectum, illudq; mennandri recte obiieies; Cani capilli haud afferunt prudentiam. Quamuis ergo rationalis Medicus non minus doctrina, quam vſu luceat, nunquam tamen quemuis licet inferiorem in conſulendo contemnat, nihil

hil etenim in hominibus tam firmum, cui periculum non ſit etiam ab inualido; vnde ſi in dubia ſalutis ſpe doctus Medicus de ſua vnius ſententia cæteris neglectis omnia circa ægrotum geret, ſuperbum hunc temerariumue magis iudicabo, quam ſapientem; illum contra prudentem exiſtimabo, qui in morbis curandis ſummam rei difficultatem percipiens in negocio tanti ponderis adiutores ſibi pro viribus adiungere contendet, fidos, probos, conſtantes, qui modeſte, & aliquoties obſequii ſpecie conſulant, ad eaq; quæ agenda ſunt, ſocios quieta cum induſtria moueant excitentque.

Ad

Ad morborum curationem triplici apparatu optime prius inſtrui debere medicum Dietæ, Chyrurgiæ, Pharmaciæ.

CAP. XIV.

QVemadmodum prouidus expertuſque Dux graue bellum geſturus antequam id ſuſcipiat, de copiis, ac expenſis, (vt militaris Doctor caute admonet) ſolicitus eſſe tenetur, atque propterea non ſolum pecunia, commeatu, ſed etiam armis ad vſum belli ſummopere neceſſariis vndique perquiſitis affluere contendit; ita proculdubio docto Medico contra morbum vna cum natura pugnaturo, longe ante apparandum eſt bellum, vt tutius, celeriuſque vincat, nec ipſum imparatum naturæ hoſtis inuadat; hunc autem Medici apparatum res neceſſarias

ad

ad pugnæ vſum ſuffecturum in hæc tria genera retulerunt ſummi artis noſtræ Principes, quæ ſunt medicamentum, Chyrurgia, Dieta; hæc autem niſi iam antea, & ex præparato cumulate habeat noſter artifex, fruſtra afflictæ, ac à vi morbi iam oppreſſæ naturæ ſubuenire conabitur; anrequam igitur naturæ bellum inchoetur, de his tribus maxime ſollicitus Medico debet eſſe tractatus, ac imprimis de victus ratione præſcribenda vnicuique morbo diuerſiſque eius temporibus ſemper accommodata; quæ adeo in morbis neceſſaria eſt, vt quemadmodum ſine clauo & remo homines nauigare poſſe arduum eſt, ita nec vnquam curatio ſine hac recte perfici valebit. Nonne oraculum veriſſimum quotidiano vſu firmatum experimur, huius nempe ope rite adminiſtratæ pleroſque morbos non ſolum ancipites, ſed iam deſperatos, felicem tamen eumque admirabilem obtinuiſſe exitum? cum nulla profi-

cerent medicamenta ; contraque alios non ob ipſorum vim, ſed ob errata in victu in exitium miſere laborantes præcipitaſſe? Deus bone, quoties in praxi obſeruatur, dum ſeuiſſima naturam vrgent ſymptomata,ipſaque circa ſtatum tota coctioni humoris incumbit, non iam aſtantes ignaui, ſed ignauiores plerique Medici eam ob pugnam languentem, ac inuitam iniuſte, ac turpiter ad alimenta immodica conficienda ab opere abſtrahunt; vnde à tot hoſtibus crudeliter diſtracta, ac oppugnata neceſſario tandem cor uit, inf liciterque cadit. Sapienter ergo traditur optimum medicamentum eſſe cibum opportune datum, mortiferumque venenum immodice, ac intempeſtiue aſſumptum. Cum igitur in morbis perſanandis præcipua ſit hęc victus pręſcribendi pars vnde ob graue huiuſce negocii pondus diligenter eam ſuo æuo incultam,horridamqne ſummus Hyppocrates nobis excoluit, ac eam vndique abſo-

abſolutam ſuis reliquit monumentis, niti propterea debet prudens Medicus, vt in ea præſcribenda eius luceat doctrina: Eo tamen, proh dolor, hiſce noſtris temporibus res deuenit, vt multi Medici in acutorum morborum curatione, ne verbum quidem de hac faciant, ipſam totam velut exigui momenti mulieribus, aſtantibuſque committentes; alios turpiter videas vnicam victus formam omnibus æque morbis tam acutis, quam peracutis indiſcriminatim ſemper præſcribentes, vnde vere, vt Galenus quibuſdam obiiciebat, vnius horæ eſt victus eorum diſciplina; Pudenda ſane res, ſeu potius lugenda, cum fæda grauiaque victus errata quamplnres perdant ægrotantes. Docto ergo artifici imprimis hæc pro viribus emendanda, cuius ſolum eſt pro ſalute humana non tantum noua excogitare, ſed & antiqua ab Hyppocrate Galenoque nobis tradita reſtituere; reſtituat ergo doctus Medicus rigidam vete-

cum in victu diſciplinam commodeque pro morbi ratione noſtro aptet æuo, procuretque vt non minus in hac quam in ceteris medicinæ partibus ſummi præceptoris monitis religioſe obtemperet. Sed non minori etiam diligentia chyrurgiæ præſidiis affluet artifex, ipſorumque præceptis in vſu obſeruãdis optime prius inſtruetur. Cum etenim ſit Chyrurgia medicis velut armamentarium, in quo venæ ſectio, ſcarificatio, cauteria, & quãplurima alia artis inſtrumenta continentur, quæ diuerſis oppugnandis morbis, hæc aut prior ætas inuenit, ad quæ propterea varie magno delectu pro morbi ratione confugiet artifex, haud ignorans ex dextero, aut ſiniſtro horum vſu necẽ, aut vitam languentis pendere. Sed non minus prædictis neceſſaria eſt Medico ipſa exacta medicamentorum notitia cum etenim nulla vnquam morbi calamitas mortales vexet, cui non pariter ex aduerſo ſalutare remedium liberalis, ac benigna

nigna ſubminiſtrauerit natura; ſi tamen id non reperitur, nec iacentis languoribus ſubuenire valemus, non certe ob auxiliorum inopiam, quibus totus affluit orbis, ſed ob turpem eorum ignorantiam id nobis contigit. Quare in perquirendis vndique medicamentis nullus, vnquam labor ſtudioſo Medico grauis appareat, immo omnium ſi fieri poſſet, ſed ſaltem præcipuorum facultates memoriæ eſſent mandandæ, quæque ſingulis morbis profligandis apta accommodataque exiſtunt, ſic in promptu ſemper ſubſiſtant, vt dum neceſſitas poſtulabit, quaſi aceruatim nobis occurrant, ſic etenim ex eis propriora ad uſum ſeligentur; quæ tamen, ne ob infinitam eorum multitudinem, inſignemque uarietatem turbulentam confuſionem Medicis inferant, ob id ratione, ac methodo in claſſes quaſdam rite digeſtas ordinatim unuſquiſque prius diſponat, ad quas dum occaſio exiget, repente confugiet, ſimi-

liter etiam ſingula medicamenta quæ in pharmacopea ex lege in ea aſſeruantur urbe,in qua quiſque medicinam exercet optime calleat, & quotidie fere compoſitorum ſingula percurrat ingredientia, ſic enim eorum uiribus ad pondus perpenſis ea poſtea augere,corrigere imminuere, aptiuſque unicuique morbo dextere adaptare poterit,quid utile, aut ſuperfluum, gratum, uel inſuaue medicamentum obtineat optime prius expendens; ſed ulterius prçter hæc medicamenta omnibus communia ad contumaces oppugnandos morbos præſidia quçdam peculiaria quaſi laboris ſui theſauros recondita ſibi habeat doctus Medicus, ad quæ, dum cætera non proſunt tanquam ſibi felici cum ſucceſſu alias probata,merito recurret; caueat tamen in dies noua experiri remedia ſpretis illis quæ tot annorum ſeculis à doctiſſimis uiris relicta, & innoxie experta tuto in quotidianum admittuntur uſum;inexper

ta namque remedia haud iniuria uiris doctis ſemper ſuſpecta fuere, quare in corpore humano ea tentare quæ non ſunt longa experientia comprobata medicamenta periculo non vacat, cum temerariæ experientię finis ſit animantis internecio; & hæc ea ſunt quæ prius Medico erunt paranda antequam cuiuſque morbi peculiarem aggrediatur curationem, tali namque apparatu, vt prudens tradit ſenex, hoc commodi aſſequetur, vt ad ægrorum ingreſſum animo minime fluctuet, cum in promptu ſint ſingula ad id quod agendum eſt accomodata; quo Hyppocratico placito caput hoc conſigno.

In acutis Medicis inuigilandum ob velocem eorum motum, inſigneque vitæ periculum; inutiles hiſce imperiti.

CAP. XV.

EST tam dirum ferumque in acutis inter morbum, naturamque certamen, vt ex huiuſcemodi potentibus immanibuſque hoſtibus alterum breui victum cadere ſit neceſſe, morbi namque magnitudine,& ſymptomatum vehementia vel cito virtus ſuccumbit,ita vt moriatur ęger, vel ſtrenuo ad mali expulſionem impetu ſumpto natura ſuperior victrixq; facta morbum debellat, vnde bene ex ueterum decretis traditur, eum eſſe morbũ acutum, cui motus uelox eſt,citoque pericula adueniunt, iuſtaque Hyppocratis decretum haud decimum quartum pertranſit

tranſit diem, quin alterutrius eluceat victoria. Quare cum in acutis breui tempore inſignes fiant mutationes, breueq; ſit ſpatium, intra quod ſi auxilium adhibitum haud proficit, moriatur æger, vnde ob momentaneam, volucremque occaſionem nec deliberationi, nec remediorum mutationi tempus pateat, promptus propterea intentuſque ſit in acutis Medicus, nec vnquam oblatæ ſubueniendi languenti deſit occaſioni; valet namque (experientia duce) & plurimum pollet in omnibus morbis occaſio, ſed maxime in acutis, in quibus à ſymptomatum vehementia morbique ferocia, immaniter miſerum infirmi corpus, propria inſitaque natura iam fluctuans, ac inſtabile temporis momento inſtar Prothei varie immutatur; quare ſi ſubueniendi occaſio aliquando ſeſe offert, velociter eam arripe, & auxiliari dum tempus exigit, oppreſſæ naturæ ne tantillum quidem differas; quia ſi in occaſionis

mo-

momento cunctatus paulum fueris, nequicquam mox omiſſam querare, haud ergo ignoſcendum Medico eſt in acutis ob errata parum proficienti, cum peccatum etiamſi leue egrotantes opprimat; cum ergo acutorum natura ex pręceptoris decrèto in celeritate atque magnitudine ſit conſtituta, exigit proeuldubio, & prompta, & magna ſubſidia, alioquin ex violentia morbi breui natura ſuccumbet; vnde conniuere huc non poſſum in capitalem quorumdam errorem, qui vbi in acutis inutili cunctatione ſumma præſidia ipſorum culpa fuere ommiſſa, fruſtra poſtea aliorum quamuis incommodo vſu commiſſum celare nituntur delictum, vnde oleis, vnguentis, cataplaſmatis, aliiſque huiuſcemodi, vt ipſorum diligentia maior appareat miſere naturam affligunt, ipſamque lapſantem intempeſtiuo horum vſu impellunt, vnde citius tutiuſque cadit; hæc præſtant imperiti Medici, veriti, arbitror, ne à medicamentis

ceſ-

ceſſantes à vulgo parui fiant, vnde ipſis aliquid de ſuo diſcedat lucro; mirum igitur cuiquam haud eſſe debet, ſi in hoc vndoſo acutorum mare ſine doctrinæ, ac prudentiæ gubernaculo imperitus artifex humani corporis ratem à variis ſymptomatum procellis vndique iactatam in ſcopulos ſaxaque quotidie impingat, eiuſque inſcitia atque culpa à fluctibus fuiſſe ſubmerſam etiam vulgus clamitet, quod antea ſummus Argonauta Cous hiſce expreſſit verbis; Quare plerique Medici eadem quæ mali gubernatores in ſe admittere mihi videntur; etenim illi, cum in tranquillitate gubernantes delinquunt, non fiunt maeifeſti, cum uero deprehenderit ipſos uentus magnus, & tempeſtas, pa lam iam conſpicui ſunt omnibus hominibus quod ignorantia ſua, & culpa erroris ſui nauem perdiderunt, ſic ſane, & mali, & plurimi Medici cum curant homines nihil graue patientes, in quos ſi quis etiam, uel maxime delinquat

linquat nihil graue faciat (ſunt autem multi tales morbi, & multo ſæpius quam graues hominibus accidunt) in talibus ſane delinquentes non fiunt manifeſti idiotis hominibus, ubi uero obtigerit magnus, & fortis, & periculoſus morbus tunc ipſorum delicta, & ars omnibus in conſpicuo ſunt; hæc ſummus Præceptor, quibus cognoſcitur, ut alibi ipſe quoque conſcripſit, imperitiam medentibus malum eſſe theſaurum, infeliceſque opes parere his, qui hac innituntur, poſtquam temere, & abſque methodo operantes omnis ueræ fiduciæ atque alacritatis ſunt ſemper expertes, pleni tamen timiditate ſeu audacia, quas uelut filias ipſa mater producit ignorantia; hos merito Hyppocrates comparabat perſonis quæ in tragediis introducuntur, quemadmodum enim illi figuram quidem, & habitum, ac perſonam eorum quos referunt habent, illi uero ipſi non ſunt, ſic & Medici fama quidem, & nomine

multi

multi,re autem, & opere ualde pauci; Vtroſque tamen cum ad lapidem hunc lydium acutorum morborum tangat, diſcriminet, ac probet Hyppocrates; procuret propterea noſter artifex, ut in huius attritu uerum ſapientiæ, doctrinæque aurum omnibus ſemper eluceat, ac uelut legitimum ab artis peritis probetur; quod nunquam tanquam ſpurium reprobabitur, ſi ex aureis Hyppocratis Galenique fodinis, aſſiduis laboribus, ac ſtudiis ſumma diligentia fuerit exhauſtum.

Digitized by Google

Quæ in acutis morbis præſtanda, monitis quibuſdam continentur.

CAP. XVI.

CVM vt mox uidimus, tam periculoſa anceps ſit morborum acutorum tempeſtas, ne ob gubernatoris incuriam infirma laborantis nauis à uehementibus turbidiſque concuſſa fluctibus miſere periclitetur, naufragiumque patiatur; peritorum propterea nautarum ſalubria tunc erunt amplectenda, ac ſeruanda præcepta, quibus velut anchoris tutiſſimis hæc firmata nauis tempeſtatis impetum, vt plurimum tuto effugiat, vnde poſtea tranquilliori iam mare rectum curſum tenens ad optatum ſalutis portum ſecundis ventis perueniat, nec enim refert Celſus, vlla alia ſpes in magnis mor-

morbis eſt, quam vt impetum morbi trahendo opportunis remediis aliquis effugiat, porrigaturque in tempus, quod curationi locum præſtet. Quare in acutis primus ac præcipuus Medici ſcopus ſit, vt in tempore occurrat; magna etenim vt nuper diximus, in acutis momenta ſunt temporum, & multum intereſt idem illud remedium vtrum ante, aut poſt decernatur, agaturque; quia magna præſidia tempeſtiue exhibita ita morbi impetum frangunt, ferociamque edomant, ac preſſam ſubleuant virtutem, vt iam ſuperior morbo obſiſtere valeat, ipſaque ob leuamen erecta, imminutas hoſtis copias ita impoſterum oppugnat, vt in pugna tandem victrix Medici ope euadat; cuius præcepti pondus recte perpendens eloquens Celſus, oportet itaque ait, vbi aliquid non reſpondet non tanti putare authorem quanti ægrum, & experiri aliud atque aliud, ſic tamen, vt in acutis morbis cito mutetur, quod nihil prodeſt

cuius

cuius edicti rationem hanc arbitror, ne morbus ob irrita præſidia viribus integer oppreſſam omnino proſternat naturam, nec Hyppocratis ſententia huic Celſi allatæ refragatur dum aſſerit, non ſi recta ratione cuncta gerenti ſecundum eam minus ſuccedant ad aliud protinus tranſeundum, haud etenim præſidii ſpecies vnquam eſt immutanda, ſed bene ipſius materia, quæ licet in longis morbis eadẽ ſeruari poſſit, tẽporis tamen anguſtia id ipſum in acutis fieri prohibet; nam cum acuti cenſeantur morbi, qui & magni ſunt, & ad ſtatum celeriter perueniunt, celeriter quoque eis ſubueniendum variis præſidiis ſi opus fuerit, alioquin breui natura vi tanta morbi ſuccumbet; quod vt dextere ac ex votis tibi ſuccedat ex Hyppocratis decreto frequenti vtaris ad ægrotos ingreſſu nihil etenim firmius ęgri obſeruantiam, ac beneuolentiam Medico conciliabit, vbi in diſcrimine eius conſiſtit ſalus, quam frequens

quens ſeu aſſidua eius præſentia, quæ certe in acutis valde vtilis, ſeu ſimpliciter multis de cauſis neceſſaria; tum quia aſſiduis morbi mutationibus quæ in acutis ſubito inſignes accidunt, præſens ipſe tempeſtiue occurrit, nouiſque obortis ſymptomatibus terrore plenis ſalubriter conſulit, proutque morbus diuerſimode exigit, ipſe præſidia commutat aptatq; tum etiam quia multos miniſtrantium errores necnon varios corrigit pauores; namque vt remiges ſine gubernatore trepidant, & qualibet maris mutatione ratem iam fluctibus obrui iudicant, ita aſtantes ſine Medici præſentia in acutis cito animo cadunt, horridiſque ſymptomatis inſurgentibus palidam iam ſubſequi mortem autumant, cum tamen in eiſdem multoties, ob tutam ex coctione impendentem criſim, ſalutis ſpem collocet Medicus; tum denique quia ſui præſentia viribus cadentibus tempeſtiue cibo ſubuenit, ægerque tali præſente du-

ce labantes colligit vires, ac ad omnia promptior alacriorque redditur, ex quibus vt Celſus tradit, intelligi poteſt ab vno Medico multos non poſſe curari infirmos, eumque, ſi artifex eſt, idoneum eſſe qui non multum ab ęgro recedit, ideoque cum par ſcientia eſt, meliorem tamen Medicum eſſe amicum, quam extraneum; ſed qui quæſtui inſeruiunt, quoniam is maior ex populo eſt, libenter amplectuntur præcepta ea quæ ſedulitatem non exigunt, parum tamen ab acutis, valde afflictis, profutura, ille ergo fere ſemper aſſidere neceſſe eſt, qui quod ſolum opus eſt, viſurus eſt. Sed cum hoc non ſemper fieri valeat aliorum ægrotantium curationibus implicitus Medicus ſaltem dum magnum aliquod præſidium moliendum, ipſe vt præſens adſit conſulo, ſi etenim erit ſecanda vena, præſens Medicus melius dum ſanguis fluit ipſius quantitatem pro morbi magnitudine viriumque robore definire poterit, diligen

tique

tique pulſus obſeruatione, viribus præſertim languentibus, ne à copioſa effuſione diſſipatis corruat æger, vtiliter cauebit, aliiſque erratis quæ ab imperitis artificibus, vt plurimum committuntur prompte ſuccurret; quod optime ex Galeno pulcherrima comprobatur hiſtoria, cuiuſdam iuuenis, qui dum veris tempore ſanguinem ſibi mittendum curaret, niſi ipſemet Galenus ſectioni præſens fuiſſet ob artificis imperitiam arteriam venæ loco ſecantis vitam proculdubio cum morte miſere commutaſſet. Bone Deus, nonne quotidie infinita abſurda propter hoc ſuſcitari videmus, quæ poſtea à perito artifice nullo pacto reſarciri potuerunt? Cum igitur grauis morbi commiſſa delicta, vt plurimum emendationem non recipiant, nec in acuto morbo abſque manifeſto vitę detrimento bis peccare liceat; oculatiſſimus Medicus eſſe tenetur in euitandis huiuſcemodi capitalibus erroribus; ſed quia aliquoties

etiã Medicus neceſſarijs de cauſis haud ſemper remediorum executioni adeſſe poteſt, nec ita ſæpe vt morbi ſeuitia poſtulat, eum inuiſere; cumque tutum non ſit tanti ponderis negocium confuſæ miniſtrantium turbæ commendare, conſulit tunc propterea prudentiſſimus Hyppocrates, vt ex diſcipulis qui medicinæ operam nauant ſit aliquis præſens; vt æger Medici præſcriptis ſuauiter vtatur, & quod mandatum eſt euentum habeat. Deligere aut ex his (ſequitur ipſe) oportet, qui iam in arte progreſſum fecerunt, vt vel ea quæ vtilia ſunt ipſi addant, aut ſecure cibum offerant, neue interea dum abes quippiam te lateat; idiotis ne vnquam quicquam curandum mandes, alioquin eius quod male factum eſt culpa in te reiicietur; hæc ergo inter alia præcipua illa ſunt veterum monita, magna diligentia in acutis obſeruanda, quibus prudens, doctuſque artifex vt plurimum laborantis nauem ab acutis ia-

ctatam

ſtatam ad optatum ſalutis portum perducet.

Exploditur quorumdam error morborum omnium exitum fortunæ tribuentium.

CAP. XVII.

ANtequam hoc acutorum mare præterfluamus, inſidioſum littus aperiendum, quo fortunæ monſtrum inhabitans ſyrenũ inſtar imperitos atque incautos nautas in naufragium pellicit, huiuſce cantus ſuauitate; Miſer quid te torques, aſſiduiſue vigilijs, ac ſtudiis fruſtra laboras? an ignoras ſecundum, vel aduerſum morborum exitum ſolius dominantis fortunæ, non doctrinæ, non virtutis eſſe beneficium? fortunam ergo ſolam cæteris ſpretis, quiſquis es, reuerenter habe; dulci hac venefica armonia decepti incauti

ignauique Medici cum ob artis imperitiam ipſorum culpa quamplures periclitentur laborantes, in propriæ ignorantiæ excuſationem aduerſus omnes caſus aduerſæ tribuunt fortunæ, cumque nouerca crudelis non benigna eis ſit mater, votis ſemper eorum malignum opponere pedem conſtanter aſſerunt, ex aduerſo aliquibus ita ab ortu benigna fulſiſſe aſtra referunt, vt citra doctrinam, ac vſum etiam multoties inuito proſpera cuncta, ac felicia obtingant; vnde recte cecinit quidam.

Multis mens leua eſt, ſed eiſdem numine dextra
Queis male quod ceptum eſt, vertit & in melius.

Sed ne hoc inſidioſo monſtri cantu cęteri pariter cum ignauis decepti naufragium patiantur. Vliſſis tutum amplectendum conſilium ſociorum aures cera

obtu-

obturantis ne fallaces ſyrenum cantus ipſi poſſent exaudire, ſic pariter nunc Medicorum aures rationum cera ita ſunt defendendæ, vt à ſimilibus inſidiis tuto euadere poſſint, pro certo imprimis habentes vnumquemque fortunæ ſuæ eſſe fabrum, doctoque medico haud magni momenti fortunam eſſe, ſed mentem atque rationem aſſiduo labori iunctam fere ſemper in morbis perſanandis dominari, nemo igitur ſola innitatur fortuna, immo fortunæ ſemper addat ſtudium laborem, quia vt recte vir prudens prodidit, vigilando, agendo proſpera omnia cedunt; quo ſenſu verum græcorum adagium; Dii bona laboribus vendunt, pariterque verum antiquorum dictum, Deos nempe fortioribus adeſſe; fortunæ ergo ſolæ nunquam fidat noſter artifex, quia nihil unquam diuturnum eſſe poteſt, cui ſolida rationis fundamenta non ſubiaceant, quoſque aliquando in arte noſtra ſine hoc tuto ac indefeſſo rationis

vehiculo ſola fortuna proſecuta eſt medi-
cos, repente uelut defatigata dum maior
urget neceſſitas deſtituit. Audi libenter
medicorũ omniũ cõſenſu fortunatiſſimũ
Hyppoc. noſtrũ hæc de fortunæ potentia
poſteris ſcribentem. Ego autem quemad
modum fortunæ nonnihil quauis in re
tribuo, ita tamen pro certo habeo, male à
medicis curatis, ut plurimum aduerſam,
bene autem curatis ſecundam euenire
fortunam. Quod ſapientis ſenis eſtatum
mire conſentit rationi, quia fere ſemper
(ne perpetuum in contingentibus po-
nam) omnia ſecundum rationem geſta
etiam fortuna quamuis inuita ſequetur:
felicem ergo, ac ſecundum in curandis
malis optas euentum, euigila; nec teme-
re, ac ſtulte ſpectes nihil agenti de celo
in ſinum deuolaturam uictoriam, nam
ut Poeta ait.

Qui ſtudet optatam curſu contingere metã
Multa tulit, fecitq; puer, ſudauit & alſit.

Huius

Huius ergo pariter monſtri inſidias prę-
ſentiẽs non minus fortunatus, quam eru
ditus medicus Galenus noſter,ad has eui
tandas ſequacium aures molli hac obtu-
rauit ſermonis cera. An non turpe eſt,
quæ res vna communicata hominibus
cũ Diis eſt,eã ut neglectam habeas ac de
cæteris ſolicitus ſis? ita artiũ ſtudia cõtẽ
nas, teipſum manibus fortunæ cõmittas,
cuius demonſtrare nequitiam cũ veteres
conſtituiſſent,eam ſiue fingendã,ſiue pin
gendã ſuſceperent in fæmineam ſpeciem
exprimere non contenti (quanquam
hoc ſatis erat amentiæ ſignum) guber-
naculum etiam manibus habendum de-
derunt, baſim pedibus globoſam ſubię-
cerunt, eam denique oculis orbatam
effinxerunt, vt ſcilicet per has figurandi
ſpecies fortunę inconſtantiam expreſ-
ſam oſtenderent; vt igitur in naui adeo
tempeſtatibus iactata, vt & fluctibus ob-
ruatur, & ſubmergi periclitetur, eius gu-
bernaculum cęco gubernatori male com
mendari

medari putauerim, ſic in vita quoque degenda atque in morbis curandis, vbi naufragia maiora quam in naui contingunt non recti iudicii eſt, qui per hęc rerum diſcrimina & cecę ſe Deę eidemque mutabili credunt; quibus ſane verbis aliiſque ſimilibus ſatis eleganter à fallaci fortunæ portu medicos arcet, cum ob eius lubricitatem, ac inconſtantiam triſtibus ſit obnoxia caſibus; quare tutius ad Mercurij artium domini portum vela tendes, cuius ſtabilis quadratę figurę ſitus a quolibet fortunę vento incolumen ſemper ſeruabit nauem. Quare, vt huic capiti finem tandem imponam, quiſquis es, vim fortunæ optimæ reputa, & hanc ipſam, qua aſpirante ſola abſque doctrina res aliquas tam proſpere in arte geſſiſti, admodum uerearis, ſemper pertimeſcens, ne quanto altius tali duce elatus es, eo fedius miſere corruas, nunquam igitur pręſenti credas fortunæ, cum quid veſper ferat incertus ſis, nam

vt

vt Poeta quidam cecinit.

Paſſibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa, tenaxque loco;
Sed modo leta venit, vultus modo ſumit acerbos,
Et tantum conſtans in leuitate ſua eſt.

Cum igitur tantæ ſint ab immani hoc fortunę monſtro nauigantibus in medicinę pelago paratæ inſidię, vel optimorum pręceptorum præſcripta cera auribus obturatis lætiferum vitabunt nautæ dulcem monſtri cantum, vel ſi tuto falſam exaudire melodiam cum Vliſſe malunt, rationis malo aſſiduis ſtudij funibus prius alligati, Vliſſis inſtar, tuto fallax monſtri litus pertranſibunt.

Adſtrictam, & ſeueram medendi formam futuram, quomodoque ab hac interdum deflectendum.

CAP. XVIII.

EST morbus hominum vitæ adeo infenſus, vt eius perniciem omnibus ſemper modis intendens tamquam ferus ac ſimulatus hoſtis non ſolum corporis vires latenter frangat ac labefactet, ſed etiam vna mentis facultates ita oppugnat, vt miſeri languentes, referente Hyppocrate, animo corporeque fracti dolentes quidē ob præſentia, timentes autem ob futura & pleni quidem morbo inanes autem ciborum, ea quæ morbo grata ſunt quam quæ ad ſanitatem faciunt aſſumere malint, mori quidem non amantes, ſed tolerare tamen non potentes; Cum igitur ex Hyppocratis dictis hic acerbus humanæ natu-

naturæ hoſtis animi oculum prudentiam, nempe vel penitus obcecare,vel eius ſaltem aciem ita hebeſcere contendat , vt non facile proficua à noxiis diſcernat , immo potius quæ morbo quam quæ ſibi conducunt ſiniſtre eligat, ſuique exitium quamuis inuito moliatur ; procurandum propterea pro viribus eſt à noſtro artifice vt eius medendi norma ſeuera aſtrictaque ſit, taliſque non ſolum ab aſtantibus ſed etiam ab ægrotis ad vnguem adminiſtretur , vbi namque de hominis vita agitur , tamquam ſacra inuiolabiliter debent medicorum præcepta obſeruari ; quamuis ergo apud quoſdam ęgrotos ingenita eſſe videatur erga Medicos ſuos ſumma cũ veneratione obſeruatio , apud alios tamen difficile hęc ipſa paratur,cum tamen ab hac veluti ab edita arce & ſalutis tutela & morborũ propulſio emanet , hanc propterea imprimis omnibus viribus occupet artifex , ad quam facile primo ſeueritatis gradu ſcandet , quia aſſi-

dua

dua medendi lenitas,contemptum inducit, ſalutemque non raro perdit; quare vbi æger deliquerit,quamuis commiſſum peccatum graue haud ſit, graui tamen vtaris reprehenſione, ne medici ſilentio ſeu potius aſſenſu in grauiora labatur; quod ſi poſtea talem errandi viam indecore proſequatur, cum maximam peccandi licentiam ei inducat impunitatis ſpes, tunc iam medicus iracundiæ gladiũ in ægrum aſtanteſque ferociter educat; quare ſeuere infirmum increpet ei obiiciens quod tamquam ſi rationis eſſet expers, momentaneam uoluptatem ſaluti optatæ, propriæque uitæ anteferat rem homine uere indignam in ſeipſum committẽs;nec unquã medicũ licet doctrina Aeſculapio parẽ morbũ uincere poſſe referat, niſi ipſe quoq; eger eius præcepta ad unguem ſeruans ſubſidio ſit, aliaq. huiuſmodi cum ſeueritate quadam proferens, conſtanter infirmum (quicumque ille ſit)admoneat,vbi iterum vel

leui.

leuiter etiam aberrauerit ſe non amplius ipſum inuiſurum; ita ita adhibenda eſt ſalutis cauſa ſeueritas, ſine qua ægrotantis res ad vitam attinentes recte numquam adminiſtrari poterunt; ſed ſi omnibus hiſce ſpretis licentia peccandi in dies ſic liberalior euadat, vt eius vitam perdere poſſit, vt prudens medicus eum tunc penitus deſerat firmiter conſulo, in quo ſenſu vere dicitur, crudelem medicum intemperans æger facit, nec amplius locus veniæ, quia ſalutaria præſidia non eis ſunt ad hibenda, qui medicorum pręceptis non parent, ſed in omnibus propriæ indulgent voluptati, tunc etenim iam inutilis, imo crudelis clementia cenſenda, quæ exitium ægroto, ignominiam medico eſt allatura. Sed o æui dedecus, in quo vel auri ſplendor, vel tenuis magnatum vmbra multorum medicorum (nam omnes abſit vt culpem) oculos ita perſtringit, eorumque authoritatem obſcurat, vt praua ſæpeque letifera diui-

tum

ſum Principumque errata hodiernis medicis laudare mos ſit, adulatorum more ægrotantium voluptatem, non ſalutem pro meta gerendorum habentibus. Ah caue, caue, mi doctor, quibuſque Deus, natura, & neceſſitas te dominari volunt haud ſeruiliter ſeruias; Vtroque mihi crede, afflues, argento nobiliumque commercio, ſi apud omnes hac ſalutari vtaris ſeueritate, atque impoſterum pena eos deſerendi documentum omnibus præbeas, ne quis te conſentiente, contra ſe talem velit imitari peccandi licentiam, ſeu potius dementiam, vnde unius pena multorum coercebis licentiam; Sed in his quoque modum tene, quemadmodum enim in fidibus ſi quid diſcrepat, non ob iracundiam ſtatim abrumpis, ſed paulatim ac ſuauiter reducis ad concentum, ſic pariter in admirando humanæ fabricæ organo ubi ob morbi uim appetitus à ratione diſſonat, nullaque in his ſeruatur conſonantia, ſuaui monitorum claue la-
xam

xam appetitus chordam tali prudentia euoluens reſtringe, vt rationi parens ipſi conſonet, ſummaq. inter has ad ſalutem adſit proportio; Prudens ergo atque ſapiens Medicus non ſemper in morbis curandis, vno ibit gradu, ſed vna ſemper via quę tuto quamuis diuerſo curſu ęgrotum ad ſalutis portum deducat; Denique omnia laborantis ſcire non omnia tamen ſemper reſequi curabit, paruis peccatis aliquoties veniam, magnis ſemper ſeueritatem commodans; Immo vt Galenus prudenter admonet non valde lędentia interdum vehementer ipſa cupientibus exhibenda ſunt, non tantum ob Hyppochratis dogma hec aſſerentis, paulo peior ſed ſuauior cibus meliori ſed ingrato prę ferendus, quod vt Galenus teſtatur non in gratiam ſolum ęgrotantis facimus ſed ad maiorem quoque eius vtilitatem, nam quæ libenter & magna cum voluptate ſumimus ea arctius complectitur, omnique ex parte appreſſus concludit, &

retinet ventriculus atque multo facilius concoquit, inſuauia vero & ingrata, vt pote nauſeam, vel fluctuationem parientia reſpuit, non tantum inquam hac de cauſa, ſed etiam quia Galeno authore niſi optata acceperint medicum ſunt oſuri & auerſaturi, nullumq; eius præceptum obſeruaturi; predicito autem ab his ęgrotum leſum iri, teque ipſi gratificandi cauſa ea concedere, ſed impoſterum ab eo petere vt in reliquis obedientem ſe exhibeat, noui enim quoſdam ſequitur Galenus ex ea Medici liberalitate obſequentiſſimos euaſiſſe: ſi ergo noxa ex conceſſis ſecutura exigua erit à medico parui fiet, cum impoſterum futura languentis obſeruantia eam facile emendare poſſit, ſi autem excellens vel vitæ periculum, vel non minori diſcrimine morbi longitudo immineat, tunc nequaquam ægroto obſequaris, ne merito ob peccati indulgentiam laborantis mors tibi merito imputetur. Terminus igitur in ægrotantibus

bus eſto quem non tranſibit is qui ex arte generoſe contra morbum pugnabit, vt tuto medicetur, atque velut in omni totius vitæ tum actione, ita hic quoque conſcitum illud ſapientis, qui ne quid nimis dixit, complectemur, habentes pro fine quo tendamus laborantis vtilitatem, quo aureo ſophi noſtri decreto caput hoc claudam.

Præcepta quædam aulicis Medicis valde neceſſaria traduntur.

CAP. XIX.

QVicumque poſt ſummos labores ſolidamque gloriam claris operibus in arte partam virtute propria innixi ad magnorum Principum Regumq; valetudinem tuendam ſũmis honoribus ac premijs omnium conſenſu tandem iuremerito conuocantur; acri ſane circunſpectione; di-

ligentique cuſtodia contra lapſum cui fa-
cile ſubiacent, opus habent; admodum
namque ſi vera fateri licet, lubrica, præ-
ceps, fallax eſt aulicis cũctis vita ſeu via,
ſed præcipue Medicis Principum ſaluti
ſeruandæ deſtinatis, quorum munus cum
ſit, Principum libertatem ſtrictis artis le-
gibus ad ſalutaria coarctare, intemperan
tiam aulæ vere conatam aliquoties dãna
re, libereque dum res exigit ipſos admo-
nere, quis hæc recte perpendens non fa-
cile intuebitur, quam ſalebroſum pericu-
loſumque ſit Medicis hoc aulicum iter?
cum licentioſam ipſorum vitam oppu-
gnet; id namque eſſe regni maximum pi-
gnus principes putãt, ſi quicquid alijs nõ
licet, ſolis ipſis liceat, cumq; omnia potẽ-
tia ſua metiantur, aduerſos tantum caſus
medicis tribuunt, ſecundos autem ſuæ
propriæ fortunæ; vnde vere ab ore ſan-
cto ſanctum illud de aula effluxit veri lo-
quium; per pericula peruenitur ad gran-
dius periculum; cuius effati veritatem
auli.

aulicos medicos fuiſſe olim expertos, & quotidie nunc etiam experiri, veterum monumenta cum quotidiano euentu ſatis comprobant; quamplures nempe doctrina, vſuque claros medicos, principiq. admodum gratos leui tamen de cauſa ab aulæ culmine præcipiti ruina repente cecidiſſe? an ignoras regum voluntates, vt vehementes, ſic mobiles ac ſæpe ſibi ipſis, aduerſas? aduerſus ergo tot aulæ laqueos artificem noſtrum hiſce præceptorum monitis pro viribus fulciam; Vos igitur qui Regum ſummorumque principum ſaluti ſeruandæ inter alios fuiſtis ſelecti, prius an adhoc apti diligenter animaduertite, quotidie namque vſu experimur, illum ad vitam quietam ab aulaq. valde alienam, hunc vero ad aulicam proniorem eſſe, vnde recte Poeta.

Omnia non pariter Rerum ſunt omnibus apta.

Hocergo Regium doctrinæ teſtimonium haud ad omnibus quamuis ſponte oblatum equaliter aſſumatur, ſed ab illis tantum, qui pro natura indoleque ſua aulicæ vitæ nati videntur, vnde vitam tranquillam cum aulæ inquieta, ordinatam cum turbulenta, ſedentariam cum actuoſa commutare facile patiuntur, ſeu potius peroptant; alij contra ſolitariam vitæ Phyloſopnycæ quietem; litterariamq; voluptatem omnibus Aulæ præferunt honoribus; vnde Poeta.

Illum non populi faſces nũ purpura Regum Flexit.

Sed quia electio hæc libere viuendi Medicis libera haud eſt, quia principum conditio hæc eſt, vt quicquid optent pręcipere videantur, cum eorum velle ac poſſe in æquo poſitum ſit, propterea aulæ incommoda à principe accerſitus, quicquid facias, effugere haud poteris, quare in ea

cum

cũ gloria vt tuto perennes imprimis timidam quandam peculiaris ciuiliſque vitæ verecundiam abijcias illius dicti memor; Malus eſt miniſter Regij Imperij pudor; quod præſertim Medicis vitandum, cum ob principis ſalutem illis tantum libere loqui liceat, attente audi; Principum ſecretis, grauibuſq. eius negocijs quamuis ab eo tunc accerſitus, nunquam tamen interſis, nec eorum ſis ſcrutator, ne ſi forſan te inſcio alicui tandem innoteſcant, omnem in te vnum culpam reijciant, ac uelut infidum odio proſequantur; nonne hac ſola de cauſa noſtris hiſce temporibus quoſdam uidimus eruditos uiros leui tantum circa hoc ſuſpicione turpiter à principibus fuiſſe reiectos? non ergo principum blandimentis, aulęque honoribus ita unquam fidas, ut de illis rebus quæ ad officium imperii attinēt quicquam attingas: ſunt etenim hæc aulica prẹmia, incerta, fragilia, uitreaque; unde quando magis ſplendeſcunt tunc fran

purtur, apud principem plus honoris fue-
ris adeptus tanto magis te in lubrico cen
ſeas, probe tenens hiſtorici ſententiam,
magnas arbores diu creſcere una tamen
hora extirpari; felicitati igitur tuę, quiſ-
quis es, frenum impone, ut facilius eam
regas: ſic pariter cum Principis oculis
Medicus ſemper adſit, eius propterea
cultus ſplendidior, cæteriſq. exiſtat orna-
tior, tali tamen prudentia, ut grauioris ſa-
pientiſque Medici limites haud exeedat;
noſter denique artifex in aula mores ſe
dignos, & amictu, & uictu, & ſermone, to-
taque ipſius uita ſic tueatur, ut merito
præ alijs tanto Principi ſeruando ſele-
ctus uideatur; attente etiam quod ſequi-
tur monitum auſculta; circa munus tuum
adulationem ſemper auię fere connatam,
ab ipſaque aſſiduo nutritam euitabis prin
cipis utilitatem ac ſalutem non uolu-
ptatem pro meta gerẽdorum tibi conſti-
tuens; dum ergo neceſſitas exiget, oppor-
tune ac dexteritate quadam Principi cõ-
ſules

ſules vt ea fugiat, quæ ipſius ſaluti ac vi-
tæ detrimentum ſunt allatura, idque ob-
ſequij potius, quam imperij ſpecie; arte
namque & flexu quodam tunc medicis
opus; vnde via obliqua eundum, quo non
licet recta; quare aliquoties prudentis
medici erit principis habenas aliquantis
per laxare, vt facilius eos regat; horum
namque ingenia vt nobiles & generoſi
equi melius facili quam duro reguntur
freno, longeque valentiorem blandi lo-
quentiam & lenitatem ad obtinendum
ab eis quod velis, quam terrorem ſeu ti-
morem non raro experieris, quare docen
do potius quam iubendo, monendo quã
minando, medicorum præceptis obtem-
perabunt; Sic pariter (diligenter auſcul-
ta) non tantum in grauibus ſed in leui-
bus quoque principum morbis haud ſo-
lus propriis fidens viribus tantam ſuſti-
neas molem, ne ob intima compoſitio-
nis corporeæ diſſidia tandem caſura in te
grauiter ruat, miſereque atterat; cui præ

cepto vtinam obtemperaſſent noſtræ tempeſtatis eruditi quidam medici, qui cum ad ſummum fortunæ faſtigium in aula perueniſſent, ipſam tamen dum res poſtulabat ſociorum adiutorio preſſis manibus haud tenuere, Sed propriæ doctrinæ fiducia confiſi ob neceſſariam forſan ac fatalem principis mortem, quamuis innoxie, merito tamen ab aula fuerunt reiecti, ac ab omnibus damnati turpiter nunc humili iacent loco; vnde illis contigit quod eſt miſerrimum, vt caſus in culpam tranſeat. Cum ergo fraus ſublimi regnet in aula, in eaque ad reprehendenda aliena dicta & facta ardeat omnibus animus, ſecretiſque criminationibus infament ignarum, & quo incautior decipiatur palam laudatum, propterea ne nobis hæc vnquam contingant ex corde canam.

Sit

Stet quicumque volet potens
Aulæ culmine lubrico,
Me dulcis ſaturet quies,
Obſcuro poſitus loco,
Leni perfruar otio.

De Medici honoribus, debitæque curationis mercede, quomodoque in ipſa exigenda gerere ſe debeat.

CAP. XX.

QVemadmodum nautę poſt longa maris itinera. grauesque tempeſtates naufragium ſepe minantes quando ex alto optatum procul aſpiciunt portum, magno telluris amore vere exultant, breuique iam terræ fruendæ ſpe omnium obliuiſcuntur laborum; ſic ego pariter ex animo lętor cum poſt laborioſum huius operis curſum (utinam fructuoſum) non longe portum aſpiciam ſed prope iam tangam, cum ad iaciendam an-

anchoram breue ſolum interſit ſpatium de medici honoribus, debitiſque ipſius pręmiis, quod breui iam percurram hac ſecunda Diuini oris inſufflante aura: Diſciplina medici exaltabit caput illius, & in conſpectu magnatorum collaudabitur; vnde iure merito in vnoquoque Regno, ſeu Republica bene ac ex moralis Phylo. ſophiæ decretis conſtituta, eximia præmia, ſummoſque honores artis medicæ proceribus fuiſſe ſemper tributa, & veterum teſtantur monumēta, & noſtris quoq. intuemur temporibus; augetur namque & creſcit ſemper in vrbe quicquid in pretio ac honore eſt, deficit vero & minuitur quicquid in minimis ac contemptu eſt; quare mirum non eſt ſi apud quaſdam gentes iaceat atque langueat hæc noſtra ars; quia ſublatis ſtudiorum præmiis etiam ſtudia pereunt, apud alias contra floreat, ac vigeat, ſub quibus aſſiduo ſanguinem ſpiritumque ſuſcipit; vnde merito præclara nunquam deſunt ingenia,

nia, cum vbique notum ſit eo impendi laborem, ſtudium periculum, ipſam denique vitam, vnde honos atque emolumentum ſperetur, alit namque vere honos artes, omneſque accenduntur ad ſtudia præmio gloriaq; propter quod Aegyptii omnium votis prudentiſſimi ex publico medicis ampla aſſignabant ſtipendia, pariterque ſeruos velut indignos ab hac ſalutari arte legibus arcebant ſapientiſſimi Athenienſes: omitto ſalaria honores immunitates, priuilegia à ſummis Imperatoribus antiquitus arti noſtrę conceſſa; ſed vt vera fatear, valde admiror cur noſtra hæc ætas, præclaris medicis deſerta laudeque admodum ſit orbata, cum elapſa ſecula tot eminentium virorum ingeniis gloriaque efflorŭerint; ita ut cum Poeta canere ſeu lugere nunc liceat,

Damnoſa quid non imminuit dies
Etas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Quare

Quare aut male de ingeniis noſtris cenſendum, ſi quod ueteres conſequi haud poſſumus, aut de iuditiis ſi nolumus; ſed quis ignorat medicinam, cæteraſque artes deſciuiſſe noſtris temporibus ab eximia ueterum gloria, non hominum inopia, ſed præcipue iuuentutis deſidia, præceptorum negligentia, ueteriſque moris ſerio ſtudiis incumbendi obliuione? quod peculiariter in hodierna haud aperiam medicina, ne conuitium æuo noſtro faciam; Principibus tamen hęc emendanda, quorum intereſt pro ſalute reipublicæ, & noua excogitare, & antiquam reſtituere diſciplinam. Interim tamen doctus ac ingenuus artifex in medicina exercenda ſplendidus, beneficus, ac magnanimus ſemper erit, prompta namque liberalitate omnibus ęqualiter ſubueniendi nihil naturæ boni medici accomodatius fructuoſiuſue; Sique ex hyppocratis ſententia, ſapiens Medicus Deo æqualis ac ſimilis eſt futurus, id præſertim in munificen-

tia

tia elucere debet, Quare quemadmodum ſummus ille Parens ad mortalium omnium commodum, ſpargit opportunis imbribus terras, maria flatibus mouet, ſyderum certo curſu tempora notat, ac dirimit, corpora alit, ſata euocat, percoquit fructus, ac cuncta alia bona vltro nobis commodat, ita pariter medicus æquali tenore artis ſuæ fructus omnibus tam bonis quam malis quadam animi fœcunditate diſtribuere tenetur; quare ob languorem animo corporeque iacentes præſidiis idoneis ſubleuabit, atroces dolores tuto pro viribus leniet, optatum egentibus conciliabit ſomnum, deſperantibuſque alacriter ſpem eriget: ipſius denique vigilantia, animi corporiſq. labore, omnium procurabit ſalutem; quæ rite perpendens ſummus Hyppocrates iure clamat, medicum non niſi quæ periculo ſunt proxima intueri, & quæ ſunt ingrata contrectare, ac ex alienis calamitatibus ſibi dolorem conciliare; quare quemadmodum

apes

apes ex tymo amariſſima aſperrimique ſucci herba mellem, rem ſuauiſſimmam conficiunt, ſic profecto medici ex tot ęgrotantium malis, rebuſque ſibi amariſſimis ipſorum ſalutem ac vitam rem ſane omnium dulciſſimam elicere contendunt, quæ proculdubio ſola artis noſtræ primarius finis eſt, vnde gloria velut ſecundarius emanat, nec lucrum tantum, niſi ſordidus ac ex infima plebe natus præ oculis habet medicus; immo non opum diuitiarumue cupiditate liberaliſſimæ arti operam dare egregiis operibus oſtendat, ſed ſolum propter ipſammet artem ipſis perfrui optet, cuius diſcendæ ac honorifice exercendæ organa ſunt opes; ſic legimus Iſocratem cum lacrymis ex diſcipulis mercedem accipere conſueuiſſe, grauiterque conqueri quod ob egeſtatem arti liberaliſſimæ, & ab omni queſtu alienæ hanc inferret neceſſitatem; ob quam cauſam continere me nequeo ne aduerſus illud ingratorum hominum genus

nus iracunde inuehar, qui cum Medici opera re ineſtimabili vita nempe bonaq. valetudine perfruantur, collati tamen beneficii penitus immemores uilem mercedulam tot corporis laboribus, ſummiſq. animi perturbationibus iure debitam proterue denegãt, & quod peius eſt ſalutis propriæ reſtauratores velut hoſtes aufugiunt odioque perſecuntur eos, quornm aſpectus dum à morbis vexarentur amicis affinibuſque cunctis erat optabilior, miſeriarumque vnicum ſolatium; ſed quocumq. vadas haud à Medicis ſuſceptum celare vnquam poteris beneficium o ingrate, quia vt Potea tradit.

Nocte dieque tuum geſtas in pectore teſtem:

Propriam ſcilicet ſalutem à qua velis nolis perpetuo tanquam à tortore lancinaberis, ingratitudiniſque à feris etiam alienæ, merito incuſaberis; Bonus tamen

ac

ac perfectus medicus hoſce ingratos ſi iterũ in morbos incidentes eius indigeant ope, haud vnquam deſerat, vel duriter pertractet; ſed potius maiori ſedulitate ac beneuolentia ipſorum ſaluti incumbant, ipſorumque peſtilenti ingratitudini ſaluberrimos artis noſtræ fructus opponat,& cum morali Phyloſopho hæc ſępius memoria tenens reiterabis; huic ipſi beneficium itertum dabo,& tanquam bonus agricola cura, cultuque ſterilitatem ſoli vincam; Et quamuis ex Hyppocratis decretis ob ſolum laborantis commodum poſſit medicus ipſo annuente de mercede in diuturnis preſertim morbis paſciſci; quia maiorem ex pacta mercede de medico concipiet opinionem exiſtimans, quam ocyſſime ipſum à morbis liberatum iri; nihilominus hoc egrotantis ſaluti quamuis commodum præceptũ non admitto ſeu approbo, artis namque liberalis dignitas id imprimis vetat; ſiq. eger vilem hanc de medico habebit ſuſpicio-

cionem, vt ob lucrum morbum ſit pro-
rogaturus, haud vnquam ab eo priſtinæ
valetudini reſtitui valebit, quare vel gra-
tis curationem ſuſcipiat, vel aliis ipſum
derelinquat, nec vnquam tenuis pecuniæ
ſpe, ſuam frangat exiſtimationem; ſed
omnibus æqualiter ac magnifice proſit
ita namque res ſuas augebit, ita famam,
ita denique efficiet vt ne ingrati conque-
ri poſſint niſi de animi eius magnitudine;
Hæc igitur ea ſunt, amice lector quæ me-
dicis vtiliſſima futura ex veterum monitis
depromp[illegible]; quæque tyronibus in ipſa pra-
xi vſui fore iudicaui, quam breuiſſimis
potui præſcripſi; Omnis tamen gloria, &
& laus ſit ſempr Omnipotenti Deo.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

164

Digitized by Google

REST. LIBRO ANTICO
Cav. Giovanni Di Giacomo
Tel. 71550 - PESCARA
1915

Digitized by Google